MASTER
NEGATIVE
NO. 92-80498-5

MICROFILMED 1992

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES/NEW YORK

as part of the
"Foundations of Western Civilization Preservation Project"

Funded by the
NATIONAL ENDOWMENT FOR THE HUMANITIES

Reproductions may not be made without permission from
Columbia University Library

COPYRIGHT STATEMENT

The copyright law of the United States -- Title 17, United States Code -- concerns the making of photocopies or other reproductions of copyrighted material...

Columbia University Library reserves the right to refuse to accept a copy order if, in its judgement, fulfillment of the order would involve violation of the copyright law.

AUTHOR:

RICHTER, MAXIMILIAN

TITLE:

PRISCORUM POETARUM

PLACE:

LIPSIAE

DATE:

1914

Master Negative #

92-80498-5

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

```
BKS/PROD  Books      FUL/BIB   NYCG92-B9982          Acquisitions       NYCG-PT
Record 1 of 0 - Record added today
+
  ID:NYCG92-B9982           RTYP:a    ST:p    FRN:   MS:   EL:      AD:02-11-92
  CC:9668  BLT:am     DCF:?   CSC:?   MOD:    SNR:     ATC:       UD:02-11-92
  CP:gw      L:lat    INT:?   GPC:?   BIO:?   FIC:?    CON:???
  PC:s     PD:1914/           REP:?   CPI:?   FSI:?    ILC:????   II:?
  MMD:     OR:   POL:    DM:    RR:         COL:     EML:      GEN:  BSE:
  040      NNC‡cNNC
  100 1    Richter, Maximilian.
  245 10   Priscorum poetarum et scriptorum de se et aliis iudicia‡h[microform].
  260      Lipsiae,‡bin aedibus B. G. Teubneri,‡c1914.
  300      114 p.
  LDG      ORIG
  QD       02-11-92
```

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 03.13.1992 INITIALS Emilian
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

1.0 1.1 1.25 1.4 1.6 1.8 2.0 2.2 2.5 2.8 3.2 3.6 4.0 4.5 5.0 5.6 6.3 7.1 8.0

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

COMMENTATIONES PHILOLOGAE IENENSES

EDIDERVNT

SEMINARII PHILOLOGORVM IENENSIS PROFESSORES

VOLVMINIS VNDECIMI FASCICVLVS ALTER

MAXIMILIANVS RICHTER

PRISCORVM POETARVM ET SCRIPTORVM DE SE ET ALIIS IVDICIA

LIPSIAE IN AEDIBVS B. G. TEVBNERI MCMXIV

Handbücher und neue Erscheinungen
aus dem Gebiete des klassischen Altertums im Verlage von B. G. Teubner in Leipzig u. Berlin

Sammlung wissenschaftlicher Kommentare zu griechischen und römischen Schriftstellern.

- **Apologeten,** zwei griechische. Erklärt von J. Geffcken. [XLIII u. 333 S.] gr. 8. 1907. Geh. ℳ 10.—, geb. ℳ 11.—
- **Aetna.** Erklärt von S. Sudhaus. [X u. 230 S.] gr. 8. 1898 Geh. ℳ 6.—, geb. ℳ 7.—
- **Die pseudoxenophontische Athenaion-Politeia.** Einleitung, Übersetzung, Erklärung von E. Kalinka. [V u. 324 S.] gr. 8. 1913. Geh. ℳ 10.—, geb. ℳ 11.—
- **Catulli** Veronensis liber. Erklärt von G. Friedrich. [V u. 560 S.] gr. 8. 1908. Geh. ℳ 12.—, geb. ℳ 13.—
- **Johannes von Gaza und Paulus Silentiarius.** Von P. Friedländer. [V u. 310 S.] gr. 8. 1912. Geh. ℳ 10.—, geb. ℳ 11.—
- **Lucretius,** de rerum natura Buch III. Erklärt von R. Heinze. [VI u. 206 S.] gr. 8. 1907. Geh. ℳ 4.—, geb. ℳ 5.—
- **Philostratos,** über Gymnastik. Von J. Jüthner. [VIII u. 336 S.] gr. 8. 1909. Geh. ℳ 10.—, geb. ℳ 11.—
- **Sophokles,** Elektra. Erklärt von G. Kaibel. 2. Abdruck [VIII u. 310 S.] gr. 8. 1911. Geh. ℳ 6.—, geb. ℳ 7.—
- **P. Vergilius Maro,** Aeneis. Buch VI. Erklärt von E. Norden. [XI u. 483 S.] gr. 8. 1903. Geh. ℳ 12.—, geb. ℳ 13.—

Bardt, C., römische Charakterköpfe in Briefen. Vornehmlich aus caesarischer und traianischer Zeit. Mit einer Karte. [XVII u. 434 S.] gr. 8. 1913. Geh. ℳ 9.—, geb. ℳ 10.—

Belzner, E., Homerische Probleme. I. Die kulturellen Verhältnisse der Odyssee als kritische Instanz. Mit einem Nachwort (Aristarchea) von A. Roemer. [VI u. 202 S.] 8. 1911. Geh. ℳ 5.—, geb. ℳ 6.50. II. Die Komposition der Odyssee. [XIII u. 270 S.] gr. 8. 1912. Geh. ℳ 8.—, geb. ℳ 9.50.

Burnet, J., Die Anfänge der griechischen Philosophie. 2. Ausgabe. Aus dem Englischen übersetzt von Else Schenkl. [VI u. 343 S.] gr. 8. 1913. Geh. ℳ 8.—, geb. ℳ 10.—

Cumont, G., die Mysterien des Mithra. Ein Beitrag zur Religionsgeschichte der römischen Kaiserzeit. Autorisierte deutsche Ausgabe von G. Gehrich. 2., vermehrte und verbesserte Auflage. Mit 26 Abbildungen im Text und auf 4 Tafeln sowie einer Karte. [XX u. 224 S.] gr. 8. 1911. Geh. ℳ 5.—, geb. ℳ 5.60.

—— die orientalischen Religionen im römischen Heidentum. Autorisierte deutsche Ausgabe von G. Gehrich. 2., veränd. Auflage. [XXIV u. 344 S.] gr. 8. 1914. Geh. ca. ℳ 5.—, geb. ca. ℳ 6.—

Finsler, G., Homer. 2. Auflage. I. Der Dichter und seine Welt. Geh. ℳ 5.—, geb. ℳ 6.—. II. Kritisch-ästhetische Erläuterungen zu den Gedichten. [Unter der Presse.]

—— Homer in der Neuzeit. [XIII u. 530 S.] gr. 8. 1912. Geh. ℳ 12.—, geb. ℳ 14.—

Fischer, Fr., Thucydidis reliquiae in papyris et membranis Ägyptiacis servatae. [VI u. 75 S.] gr. 8. 1913. Geh. ℳ 3.—, geb. ℳ 4.20.

Friedländer, J., die Chadhirlegende und der Alexanderroman. Eine sagengeschichtliche und literarhistorische Untersuchung. [XXIV u. 388 S.] gr. 8. 1913. Geh. ℳ 12.—, geb. ℳ 14.—

Gomperz, H., Sophistik und Rhetorik. Das Bildungsideal des *ΕΥ ΛΕΓΕΙΝ* in seinem Verhältnis zur Philosophie des V. Jahrhunderts. [VI u. 291 S.] gr. 8. 1912. Geh. ℳ 10.—, geb. ℳ 12.—

COMMENTATIONES PHILOLOGAE IENENSES

EDIDERVNT

SEMINARII PHILOLOGORVM IENENSIS PROFESSORES

VOLVMINIS VNDECIMI FASCICVLVS ALTER

MAXIMILIANVS RICHTER

PRISCORVM POETARVM ET SCRIPTORVM DE SE ET ALIIS IVDICIA

LIPSIAE IN AEDIBVS B. G. TEVBNERI MCMXIV

PRAEFATIO.

Artis criticae, quae ad litteras pertinet, duo praecipue genera esse videntur, quorum alterum oritur ex natura hominum ipsa, cum omnes, ut Cicero (pro Arch. 26) dicit, studio laudis trahamur et optimus quisque maxime gloria ducatur. Quisquis igitur litteratus opus aut opusculum conditurus est, laude dignum aliquid praestare studet, et quantum quisque potest, eos, qui eidem rei iam antea operam praebuerunt, vincere conatur; ac recte profecto Livius in praefatione de rerum quidem scriptoribus affirmat: '. . . novi semper scriptores aut in rebus certius aliquid allaturos se aut scribendi arte rudem vetustatem superaturos credunt.' Quo certamine alterna quaedam censura continetur, etsi verbis non exprimitur; persaepe tamen homines, quia taciti cum aemulis contendere parum habent, illo studio praeter ceteros florendi ipso incensi ostentant atque indicant, quid in scriptis eorum improbandum esse iudicent; qui sibi obtrectari non passi impetus defendunt aut ipsi aggrediuntur adversarios, ut non raro concertatio satis acris oriatur. Cuius ardor pendet ex natura singulorum, condicione, natione; nam toti quidam populi proni sunt ad irrisionem: velut non miramur Romanos, utpote quibus acetum, quod Horatius (sat. I 7, 32) dicit, quasi innatum fuerit [1]), interdum verbis satis vehementibus et acerbis [2]) usos esse. Neque nullius momenti est, cui quisque litterarum generi operam impertiat; vix enim in tragoediis grandibus atque gravibus (prologis fortasse exceptis) tales versus exspectaris quales in generibus iis, quae sicuti saturae Lucilianae castigando et irridendo valent. Porro monendum est eiusmodi artem criticam exerceri et in eos, qui idem litterarum genus colunt, et in eos, qui in aliis versantur; hic igitur inter se dissentiunt, quae res tractentur, cum illic discrepent, quomodo tractentur. Qua censura ne mortuis quidem parci consentaneum est, qui haud raro iniuria reprehenduntur, cum posteri, quid suis temporibus illi praestiterint, ratione non habita vituperanda esse putent, quaecunque ab erudito elegantiae iudicio abhorreant; qualem iudicem Horatium nonnusquam se praebuisse non negaveris. Ceterum commemoretur vix necesse sit eiusmodi de aliis censuram ea sae-

[1]) cf. (Gercke-) Norden I² pp. 319—320. [2]) cf. e. g. Catulli c. 36.

pissime aetate factitari, qua litterae maxime varie et copiose coluntur; quod perspicue observamus in patria, cum duodevicesimum et undevicesimum saecula intuemur. Hanc igitur iudicandi rationem scriptores sua ipsorum causa exsequuntur; nam sive se ab aliis defendunt sive eos adoriuntur, semper id agitant, ut suis operibus laudem concilient; qua in re interdum fieri potest, ut sui critici exsistant, cum, quae antea protulerunt, postea improbent. — Cui criticae generi contrarium est alterum, quod perinde quasi munus sit exercetur; quo qui funguntur, leges technicas, ethicas, aestheticas constituunt, quas quatenus singuli scriptores secuti sint, examinant; sunt etiam, qui utrumque iudicandi genus ita coniungant, ut ipsi scripta componant simulque illud officium administrent; quod egregie fecit Lessingius noster. Sed per se intellegitur talem aestimationem iis temporibus, quibus incipitur demum litterarum studium arripi, nondum emergere, sed tum exerceri, cum iam florent atque pollent; illae enim leges ita excogitari solent, ut quasi summa ex operibus scriptorum iam clarorum reddatur. Ergo cum alterum criticae genus ex natura hominum ipsa evadat, hoc alterum singularis litterarum disciplina est. Ut autem studium earum in universum a Graecis Latio agresti illatum est, sic hoc quoque eodem itinere ad Romanos pervenit. Qui enim praecipue ei se dabant? Nempe grammatici, qui in scriptis explanandis hoc munus imprimis tuerentur; expresse enim dicit Dionysius Thrax (p. 6 Uhlig): '. . . *κρίσις ποιημάτων, ὃ δὴ κάλλιστόν ἐστι πάντων τῶν ἐν τῇ τέχνῃ*'; quod autem Graecorum primus Aristoteles, qui duos *περὶ ποιητικῆς* libros scriberet, hac disciplina occupatus erat, eam, ut supra diximus, tum demum exsistere videmus, cum litterae iamdudum tamquam adoleverunt. Quoniam vero grammatici ipsi in hoc studio — de quo luculente egit Usenerus (in epilogo editioni Dionys. Halic. librorum de imitatione etc. etc. ed. Bonnae a. 1889 addito pp. 132—135) — se collocabant, procul dubio est, quin e Graecia Romam traductum sit (cf. Gudeman RE VII p. 1798); namque Suetonius (de gramm. c. 2) testatur primum Cratetem Mallotam, quem *κριτικὸν* appellatum esse Suidas (p. 624 Bekker) tradit, cuiusque discipuli item *κριτικοὶ* quam *γραμματικοὶ* nominari maluerunt[1]), sub ipsam Enni mortem studium grammaticae in urbem intulisse et Romanis exemplo fuisse ad imitandum[2]). Itaque hanc doctam, quam nominemus, criticae rationem ante annum a. Chr. n. 169 frustra apud Romanos quaesiveris; illa autem altera, ut est posita in

¹) cf. J. Brzoska: de canone decem oratorum Atticorum quaestiones, diss. Breslau 1883, p. 58; A. Gudeman: Grundriss der Gesch. der klass. Phil. 1909^{2} pp. 3—4. ²) quam memoriam iniuste, opinor, in dubio posuit Leo (Plaut. F. pp. 30—31).

natura hominum, semper fere multo ante hanc exercetur: quapropter ei, qui quomodo Romani artem litterarum criticam excoluerint, exploraturus est, principia quoque litterarum Romanarum observanda sunt. Nequaquam vero mea quidem sententia licet illam nativam, ut ita dicam, censuram plane omitti ab iis, qui historiam totius criticae a Romanis exercitatae scribendam susceperunt; quod perperam fecit et Nettleshipius (Literary criticism in Latin antiquity: The journal of philology XVIII pp. 225—270), qui statim ad scholasticam, quam vocavit, artem censoriam accessit, et Saintsburius (A history of criticism etc. I [1908^{3}] pp. 211 sqq.), qui illa criticae primordia, quae apud Ennium Terentium aliosque legerentur, aspernatus esse negavit, cur in iis moraremur. Ac ne is quidem, qui libellum composuit de „Typische Äusserungen der römischen Dichter über ihre Begabung, ihren Beruf und ihre Werke", Riednerus (Progr. Nürnberg 1903) propositum satis peregit; quamvis enim Romanorum poesin inde a principiis usque ad Augusti tempora in quaestionem se esse vocaturum polliceatur in praefatione (p. 3), tamen omnibus fere praeter Ennium priscis poetis neglectis aureae potius litterarum aetatis habet rationem, in quam quidem studium atque industriam ab eo collata esse nemo neget. Zillingerus denique nuperrime (Cicero und die altrömischen Dichter, Würzburg 1911) primordia illa obiter tantum stringere potuit, cui in prooemio solum (pp. 1—13) dissertationis de iis agere liceret. Itaque factum est, ut nemo adhuc, quantum ego quidem vidi, vestigia artis criticae, quae ex priscis ante Ciceronis fere aetatem temporibus relicta sunt, uno tenore componeret atque commentaretur; quod officium ego hac dissertatione exsequi conabor.

§ 1. De **Livio Andronico** et **Cn. Naevio.**

Quaesiverit fortasse quispiam miratus, cur secundum ea quae modo exposuerim ex Livio Andronico demum quaestionis initium capiam, cum principia litterarum Romanarum iam multo ante hunc Tarentinum orta sint. At primum haec omnia obscuritate tamquam obruuntur, dein nos ne hilum quidem criticae, simodo servata essent, in iis reperturos esse certum est. Neque enim sacris sacerdotum carminibus aut vaticinationibus neque commentariis magistratuum aut legibus huic arti ullus locus dabatur; neniae autem praeficarum et carmina convivalia nihil aliud spectabant, nisi ut gloriam maiorum celebrarent. Solum igitur priscarum litterarum genus — triumphalia enim carmina omnino omitti liceat —, quo irrisiones continebantur, versus Fescennini erant: iis autem longe alia carpebantur atque litterae. Accedit, quod omnia haec scripta, etsi ab

singulis nimirum hominibus certa quadam oratione componebantur, tamen singulorum non propria erant, sed quasi ex toto populo emanabant; vix enim ulli illorum 'carminum inconditorum' eius, qui scripserat, nomen unquam additum fuisse tibi persuadeas. Quamquam igitur de variis ante Livium scriptis memoriam accepimus, nullum cum certo nomine coniungere possumus, praeterquam quod Appio Claudio orationem in Pyrrhum habitam et Sententias fortasse attribuimus. Quandoquidem autem illa innata critica in natura singulorum posita est, ibi tantum exsistere potest, ubi singuli homines exsistunt neque vero rebus tamquam operiuntur. Quocirca recte facere nobis videmur, quod a Livio demum quaestionis initium sumimus.

Sed in huius quoque reliquiis equidem frustra rimatus sum, num quae vestigia censurae indagarem; at ne verisimile quidem est in carminibus eius unquam tale quicquam legi potuisse. De quo enim Andronicus iudicia faceret? De Plauto vix cogites, qui non multo ante id ipsum tempus, quo ille mortem obiit, litteris studere coeperit; solus igitur restat Naevius aequalis; sed dubito, an cum eo manus non conseruerit, cum alter altera in arena quasi vigeret; Naevius enim praecipue comoediis excellebat, cum Livius, quantum nos iam videmus, tragoedias scribere mallet. Rursus autem, cum uterque eorum utrique dramatis generi operam navaret, fieri vix poterat, ut alter alterius studium per se improbaret, sicuti e. g. Lucilius saturarum poeta tragoedias postea aspernatus est. Eas vero litteras, quae iam ante eum fuerant, Livium ob ruditatem perstrinxisse aegre quisquam suspicetur, dummodo condicionem eius, sive servus sive liber Romam venit (cf. Schanz p. 56), semper tam humilem fuisse considerarit, ut peregrinus homo Romanis litteris contemptionem offerre non auderet; neque omnino multum a vero recedas, si aliquantum modestiae in eo fuisse conicias, praesertim cum nemo posteriorum tradiderit eum ullo loco se ipsum laudasse.

Multo alia natura ac condicione erat Cn. Naevius, cum neque libertus neque peregrinus, sed ingenuus et Latinus esset; quem ore liberrimo loqui solitum esse satis appareat ex versu illo maledicentissimo, quem in consulem nobilissima Metellorum gente natum iactaverat. Facile igitur eum etiam scripta aliorum irrisisse exspectes; attamen frustra in eius quoque fragmentis (uno fortasse loco excepto) tale quid quaeras. Quamquam eadem interdum argumenta tragoediis tractasse videtur atque Livius Andronicus; velut Ribbeckius (Die röm. Tragödie etc., Leipzig 1875, p. 44) inde, quod item 'Equum Troianum' et 'Danaen' scripsit, eum ad illa Livi conamina ipsa se applicasse non sine probabilitate collegit; maxime autem dubium est, perstrinxeritne illa verbis expressis; nos quidem nihil de ea re aut ex fragmentis intellegimus

aut accepimus ab antiquis, ita ut omnino eum alios litteratos adortum esse nulla memoria traditum est. Neque satis, opinor, caute Suessius (Rhein. Mus. 65 p. 448) eum, qua fuisset iambica, ut ita dicam cum viro doctissimo, natura, prologis raro aut parce de sua atque adversariorum arte disputasse negavit; quod enim Gellio (III 3, 15) usus teste poetam, quae in prologis fecisset convicia, in fabulis ipsis deprecando diluere coactum esse dixit, hunc locum ad nobiles tantum insectandi studium pertinere parum respexit neque inde illum litteratos quoque item perstrinxisse quicquam est cur concludas. Quae cum ita se habeant, iam propterea vix conicere liceat eum cum Plauto aemulo in contentiones descendisse, praeterea autem Campanus et Umber poetae, licet complures eiusdem aetatis annos simul Romae fuerint, familiaritate quadam inter se coniuncti fuisse videntur; alioquin enim Plautum (Mil. vv. 211[1]) sqq.) eius in vincula coniecti causam non defensurum fuisse manifestum est; quamquam, quod Teuffelius (Studien und Charakteristiken etc. Leipzig 1871, p. 282) illam inter utrumque consuetudinem tantam fuisse coniectavit, ut in Colace componenda societatem quandam scribendi inirent, vix quisquam fecerit cum illo viro doctissimo. Naevium autem illas ante Livium litteras cavillatum esse non verisimile est vel nos quidem ignoramus; velut non habebat, cur aridam commentariorum rationem scribendi irrideret, cum non pauca[2]) paucorum fragmentorum prorsus ad aures nostras accidant, proinde ac si ex illis ipsis sumpta sint. Unus tamen locus commemorandus est, ubi eum aequales litteratos vellicasse primo quidem obtutu opinemur; quod enim de oratoribus novis stultisque adulescentulis, qui rem publicam pessum dedissent, locutus est versibus (praetext. vv. 7—8R):

'Cedo qui rem vestram publicam tantam amisistis tam cito? —
Proveniebant oratores novei, stulti adulescentuli',

quos praetextae cuidam attribuere non cunctor Ribbeckio (Röm. Trag. p. 66) assensus, eum simul ad Romanos aequales spectasse verisimillimum est, ac fieri potuit, ut Scipionem quoque his verbis stringeret[3]). Iudicium igitur satis acre edidit de oratoribus novis, qui Romae tum

[1]) quamquam enim Marxius, qui nuperrime sua cum doctrina de versibus illis egit (Berichte über die Verh. d. Sächs. Ges. d. Wiss. 1911, pp. 75—77), recte exposuit Plautum sale satis acerbo animos spectatorum ad collegam convertisse, tamen cum servum moneri fingit, ne sic 'aedificet', se collegae infortunium recordari nolle videtur pronuntiare. [2]) cf. bell. Poen. libr. III, frg. III (ed. L. Muelleri [Petersburg 1884] p. 162): 'Marcus Valerius consul partem exerciti in expeditionem ducit'; p. 163: IV, II; VI. [3]) quod tamen non ita affirmare audeam ut Besançonius (Les adversaires de l'hellénisme à Rome etc., Lausanne 1910, p. 16).

prodibant; neque vero tam orationes ipsas eorum quam mores vituperavisse videtur, ut versus illi quadam tantum ex parte pertineant ad nostram quaestionem; recte enim si eos interpretabimur, eos non multo differre intellegemus a saturnio illo Metellis obtrectante, cum Naevius utroque loco nihil aliud studuerit nisi ut nobiles increparet. Itaque poeta his quoque versibus certos quosdam in re publica sibi inimicos potius carpsit quam de orationibus eorum iudicavit, ut versibus illis, qui tamen tractandi erant, litterarum artem criticam contineri vix contendas. — Quodsi igitur nescimus, num aliorum litteratorum censor exstiterit, suum ingenium non parvi eum duxisse vel ex natura eius Campana superbia praediti appareat; accedit, quod unum [1] quidem versum habemus servatum, quo quandam ex suis fabulis laudat; facile enim tibi persuadeas versum (com. v. 1 R):

'Acontizomenos fabula est prime proba'

olim in prologo comoediae fuisse; cum autem non sit, cur eum postea interpolatum esse suspicemur — quod fecit Fabia (les prologues de T. p. 87 ann. 1) nullo quidem argumento adiecto —, poetam his verbis et Graeco exemplari et suae fabulae aliquam laudem attribuisse statuendum est eo nimirum consilio, ut suam quoque Acontizomenon spectatorum favori commendaret [2]; quamquam enim nihil certius scimus de prologo illo, ut ad coniecturas nobis confugiendum sit, nemo opinatus sit Naevium, utpote qui esset animo arrogantiae plenissimo, ceteris qui nunc perierunt versibus pronuntiasse suam comoediam deteriorem esse Graeca; itaque hoc loco et hanc et illam laudavit. Multo autem clarius poetae praeconium est elogium illud a Gellio (I 24, 2) nobis traditum (Epigramma Naevii plenum superbiae Campanae, quod testimonium esse iustum potuisset, nisi ab ipso dictum esset):

'Inmortales mortales si foret fas flere,
Flerent divae Camenae Naevium poetam.
Itaque postquam est Orcho traditus thesauro,
Obliti sunt Romae loquier lingua Latina',

quod utrum genuinum sit necne, nunc quaeramus, utpote de quo docti valde dissentiant [3]. Cur autem a quibusdam in suspicionem voca-

[1]) Mommsenum (R. G. I⁹ p. 897) enim Tarentillae fragmentum primum falso interpretatum esse Berchemus (De Cn. Naevii poetae vita et scriptis, Münster 1861, p. 105) edocuisse videtur. [2]) item iudicavit et Reitzensteinius (Herm. 35, p. 626, ann. 1) et Suessius (l. s. pp. 448—449). [3]) velut Lucianus Mueller (Q. Ennius, Petersburg 1884, pp. 28; 117; 285), Mommsenus (R. G. I⁹ p. 904), Riednerus (l. s. p. 72) fidem ei attribuerunt, cum hi fere in alteram sententiam discederent: Iahnius (Herm. 2, p. 243), Buechelerus (Rh. M. 37,

tum est? Certum est eos non in forma offendisse; namque primum versus Saturnius aperte non abhorret a Naevi consuetudine, cuius 'bellum Poenicum' eodem numero compositum fuerit; deinde allitterationem, quam dicimus, reperimus (**f**oret **f**as **f**lere **f**lerent; **t**raditus **t**esauro; **l**oquier **l**ingua **L**atina), quae ut priscae Romanorum poesis propria est, sic a Naevio quoque persaepe [1]) adhibetur; denique autem verborum contrariorum lusum (inmortales mortales) adamavit poeta Campanus (cf. e. g. com. v. 8 vel v. 25 R). Quae cum ita sint, argumento tantum elogii dubitationes afferri potuerunt: ac profecto hi versus profusa arrogantia adeo turgent, ut maxime laedamur, neque dubium est, quin si qui huius aetatis poeta eiusmodi praeconio se tolleret, haud paucis vel irrisioni vel contemptui esset. Attamen Romani in tanta superbia non ita offendebant, sed spectes velim ad proprios et Graeci et Romani populi mores, quorum in utroque eximia gloriae cupiditas erat. Itaque etiam apud posteriores Romanorum poetas verba non multo minus audacia legimus (cf. e. g. Hor. carm. II 20; III 30; IV 3, 21—24); quam multi [2]) eorum se immortalitatem esse adepturos sibi vaticinati sunt! Atque ex eodem laudis studio effectum esse videtur, ut triumphi instituerentur, neque intellegimus, cur Cicero tam pervicaciter triumphum appetierit, nisi eum Romanum [3]) fuisse meminimus. Item vero a Graecis victoriae in ludis magnis reportatae summis in honoribus, quorum compotibus fieri liceret mortalibus, numerabantur: quantis laudibus victores cumulabantur, quam praeclaris carminibus celebrabantur! Nonne hoc quoque discrepat a nostris moribus? Quapropter elogium inde, quod nostrum elegantiae iudicium non iuvat, a Naevio non conditum esse nequaquam concludere licet, quippe quem omnino liberum et arrogantem fuisse certo sciamus. Quamquam minime me praeteriit permulta carminum sepulcralium quae servantur modestia quadam ornari; nonnulla tamen habemus velut Scipionum quae dicuntur inscriptiones, quibus laudes mortuorum verbis satis gravibus praedicantur. At omnino dubium esse videtur, liceatne Gellio fidem habere affirmanti Nae-

p. 521 ann. 1), Bormannus (Arch. epigr. Mitt. 17, pp. 227 sqq.), Ribbeckius (Gesch. d. röm. Dichtung I, p. 26), Baehrensius (fragm. poet. Rom. p. 296), Schanzius (p. 68), Leo (Herm. 24, p. 80, ann. 1; Gesch. d. röm. Lit. I (1913) p. 367, ann. 3; p. 438, ann. 1: ceterum huius libri (= L. G.) recentissime atque aliquanto, postquam meum opusculum confeci, editi tum tantum faciam mentionem, cum a viro illo doctissimo dissentiam; quaecunque autem item exposuit atque ego iam scripseram, singulis locis non adnotavi.

[1]) quod cum inter omnes constet, exemplis affirmare supersedeam; cf. Leo L. G. p. 39 ann. 1. [2]) cf. Riedner l. s. pp. 71—72. [3]) rectissime dixit Guilelmus Ihne (Röm. Gesch. VI p. 485): 'Wann hatte je ein Römer, der auch nur auf den geringsten militärischen Erfolg hinweisen konnte, freiwillig darauf (d. i. auf den Triumph) verzichtet?'

vium hoc epigramma sepulcro suo incidendum reliquisse. Bormannus (l. s. p. 232) enim probavit illum Naevi Plauti Pacuvi epigrammata ex Varronis primo de poetis libro sumpsisse; Pacuvianum autem formam sepulcralis inscriptionis aperte prae se ferre cum Buechelerus (l. s.) recte iam divinasset, bene nuper accidit, quod aliam quandam repperimus, quae verbo tenus fere congruit cum illa (cf. Bormann l. s. p. 227). Quod vero Bormannus inde collegit Varronem in epigramma alicubi inventum Pacuvi nomen inseruisse, non consentio, cum non videam, cur testem ceteris in rebus satis fidum consulto spurios versus supposuisse arbitremur; ac si quis improbabile opinetur Varronem indagandi, num alicubi eos reperiret, operam subisse, reminiscatur iam Catonem, siquidem recte a Cicerone (Cat. mai. 7, 21) traditur, in Originibus componendis 'sepulcra legisse'; quocirca genuinum carmen servatum esse cum Buechelero tenendum est. Quae cum ita sint, facile, ut Bormannus (l. s. p. 238) ipse explicavit, perspicitur, quo fortasse modo Gellius in errores delapsus sit, quibus etiam Naevianum et Plautinum in sepulcris poetarum olim inscripta fuisse suspicaretur: fallaci enim conclusione usus esse videtur, cum eodem consilio ea composita esse coniceret atque Pacuvianum, cuius rationem aut iam Varro expresse significaverat aut ipse facillime intellexit. Quoniam autem constat Naeviani rationem ab omnibus fere titulis servatis longe abhorrere, et probabile quidem putavimus Gellium errore illo captum esse, epigramma omnino nunquam sepulcrale fuisse verisimile sit; quod multo certius concludamus, si alium locum ei assignare possimus. Ac primum quaerendum est, utrum Varro versus illos ipse finxerit an aliunde mutuatus sit: verisimile esse modo vidimus Pacuvianum ei non attribuendum esse, dein infra exponemus etiam Plautinum ab eo abiudicandum esse, postremo Symmachus (lib. I, ep. IV) expresse testatur Hebdomadum quidem epigrammata non omnia a M. Terentio ipso composita esse; fieri igitur potuit, ut etiam Naevianum alii alicui deberet; ac profecto carmen iam per se vix ei tribueris, cum memineris priscos versuum numerum et stilum; qui cum optime, ut supra exposuimus, quadrent ad Naevi consuetudinem, qua re impedimur, ne Varronem epigramma ex huius ipsius scripto aliquo hausisse suspicemur? 'Diligentissimum enim antiquitatis Romanae pervestigatorem' (Cic. Brut. 15, 60) etiam Campani poetae scaenicam et epicam poesim perrimatum esse et ultro ratiocinamur et facilius intellegimus indice evoluto, quem Goetzius et Schoellius editioni[1]) suae addiderunt. Atque eum saturnios neque in tragoediis ne-

[1]) M. Terenti Varronis de lingua latina quae supersunt, Leipzig 1910, p. 307; copiosius egit de ea re Fridericus Marx (Zeitschr. f. d. östr. Gymn. 49, p. 387).

que in comoediis legisse consentaneum est; porro autem scimus (Cic. Cat. mai. 14, 50) 'bellum Poenicum' extremis poetae annis compositum esse, quibus in iisdem etiam elogium, simodo genuinum sit, ponendum esse nemo negaverit; dein in utroque Saturnius numerus adhibitus est, postremo Marxius (Abh. d. Sächs. Ges. d. Wiss. 1911 p. 82) verisimile esse probavit poetam in epico carmine nonnulla de vita sua dixisse (quod idem postea Ennius fecit in Annalibus; cf. e. g. vv. 376 et 377 V.). Quae omnia si comprehunduntur, num absurdum sit, si quis Naevium hoc sui ingenii elogium in fine 'belli Poenici' posuisse coniciat, unde a Varrone, quem epigrammata quaedam ex operibus certorum scriptorum fortasse mutuatum esse Bormannus ipse concessit (l. s. p. 238 ann. 15), sumeretur? Cum autem ita hos versus interpretati sumus, simul dubitationes doctorum removimus illorum, qui eos sepulcrales fuisse sibi persuadere non possent; atque illo modo in fine operis sua merita celebrare nequaquam plane a more poetarum abhorret: velut Horatius clarissimum illud 'Exegi monumentum aere perennius' prioris Carminum editionis extremum esse voluit. — Iis, quae tam copiose exponenda esse putabam, demonstrasse mihi videor, quomodo intellegi possit et versus a Varrone ex Naevio ipso sumptos et a Gellio per errorem sepulcrales nominatos esse. Quamquam certa argumenta a me non proferri minime me fefellit: at iis ei quoque carent, qui Iahnii iudicium secuti sunt; ac nescio an concedas in mea argumentatione non minorem esse veri similitudinem, ad vera ipsa quoniam ascendere vix possimus, quam in altera. Cum autem nihil adhuc allatum sit, quo certo fides elogio detraheretur, et me probasse sperem, quomodo Varroniana vel Gelliana memoria interpretanda sit, eam reicere mea quidem sententia non licet. Ergo Naevius saturniis illis primus Romanorum iudicium de sua arte poetica fecit idque superbiae plenissimum, ut Gellio largiendum est. — Sed aliud quoque aliquid ex iis colligi licet, cum in iis primum fere vox 'poetae' legatur. Ac ne genuinum sit elogium (quod ego quidem nego), is qui composuit Naevium certe sic nominavit, ut ipse solitus erat; revera autem hoc nomen eum sibi indidisse manifestum est e versu illo[1]), quo Metellus consul maledico Naevi senario respondisse dicitur. Noluit igitur Campanus poeta se Latinis vocabulis 'vatem' vel 'scribam' appellari, cum non satis haberet is putari, qui aliquid scribebat vel vaticinabatur, sed is duci mallet, qui ut Graecus ποιητής aliquid faciebat vel procreabat[2]).

[1]) quem, cum fide privare conatus esset Wissowa (Genethliacon für C. Robert [1910] pp. 59—63), genuinum esse Marxius (l. s. pp. 66—67) satis, opinor, edocuit; Leo quidem (L. G. p. 78 ann. 5) illi assentiri maluit quam huic. [2]) hanc enim Graecae vocis, quae ex verbo ποιεῖν derivanda est, nativam

Primae paragraphi summam si subducimus, neque apud Livium Andronicum neque apud Naevium vestigia artis criticae in alios exercitatae reperiuntur; quorum hic duobus locis, et illo Acontizomeni versu et praecipue elogio de sua poesi iudicavit. Sed, si velis, saturniis illis nescio an quoddam criticae genus contineatur, quod quidem neque ad praesentia neque ad praeterita, sed ad futura demum tempora pertinet; cum enim Naevius se mortuo Romanos [1]) lingua Latina loqui obliturос esse vaticinatur, eos, qui post se litteris se dederint, Latine locuturos vel scripturos esse simul negat.

§ 2. De Plauto.

Cum tenuissima tantum fragmenta poetarum, quos adhuc tractavimus, adhibere licuerit, condicione utimur multo opportuniore ad Plautum progressi, cuius tot fabulae serventur, ut hic quidem certum quaestionis fundamentum nobis suppeditet. Ac primum monendum est nullo veterum testimonio, quae satis multa (cf. Goetzii et Schoellii ed. fasc. I pp. XVII—XXXIII) habeamus, prodi eum de quoquam litterato iudicia edidisse; quare in hac quaestione cautione satis magna opus esse existimo. Deinde iterum in memorias revocare nobis conducet, quosnam Plautus iudiciis agitare potuerit. Ut enim omittamus et illas ante Livium Andronicum litteras et scriptores soluta oratione usos, quos omnino non tetigisse videtur [2]), ante eum Livius utrique fabularum generi operam impertiverat, aequalium autem nominandi sunt Naevius, Ennius, Statius Caecilius; namque etiamsi praeter hos alios quoque neque paucos comoedias scripsisse evidenter apparet ex Casinae prologi versu 18, quo totus quidam flos [3]) poetarum illa aetate exstitisse dicatur, tamen omnes fere ita oblivione obruti sunt, ut nunc vix quicquam certi de iis sciamus. Restant igitur Livius, Naevius, Ennius, Caecilius, quorum imprimis ratio in quaestione nobis habenda erit. — Sed priusquam ad rem ipsam accedam, breviter praefandum est, quid universe de prologis sentiam, utpote in quibus permulti locorum legantur eorum, quos brevi explanabo; quamquam ne quis exspectet me totam coniecturarum, quas docti hac in re difficillima fecerunt, molem esse allaturum, sed eorum

vim Naevium cognosse cur non credamus? — Ceterum quo iure Lucianus Mueller (l. s. p. 28), qui haec exposuit, iam Livium Andronicum 'certe' se ita nominavisse coniecerit, diiudicare nequeo.

[1]) quo enim iure Leo (L. G. p. 366 ann. 3) verba 'obliti sunt' non ad Romanos, sed ad Camenas, referenda esse dixerit itaque in 'oblitae sunt' mutarit equidem nescio. [2]) quod nonnusquam Graeculos philosophos irrisit (Besançon l. s. pp. 6 et 112), non scripta eorum, simodo quae ediderunt, sed mores castigavit. [3]) de hoc flore egregie egit Ritschelius (Parerg. pp. 192—197).

tantum sententias commemorabo, qui optimos fructus ex hoc agro tam saepe perarato perceperunt, Ritschelii et Leonis. Quorum ille suo cum acumine fidem prologorum labefactare conatus est (Parerg. pp. 180—238), tametsi ipse concessit (Parerg. p. 235) retractatis, quos putavit, etiam quaedam contineri posse, quae ex vere Plautinis sumpta essent; Leo autem cum plausu doctorum satis magno probavit (Pl. F. pp. 188—223) prologos in universum poetae ipsi vindicandos esse, etsi nonnulla ab histrionibus interpolata esse confitendum esset. Quod cum satis nunc constare videatur, difficilius est diiudicatu, quid Plauto demum, quid iam exemplaribus tribuamus; qua de re tum accuratius erit disserendum, cum in singulos locos inquiremus. Hoc tamen unum, quod maxime attinet ad nostram rem, praemonendum est prologos Plautinos ita imprimis differre a Terentianis, ut perraro iudicia de aliis litteratis facta iis contineantur (Leo Pl. F. pp. 193 et 217). — Sed haec hactenus.

Primum investigemus, quid poeta de sua ipse poesi dixerit; qua in re duo maxime loci explicandi sunt, nempe Asinariae prologi versus 13—14 [1]) et Bacchidum versus 214—215. Illis enim

13 'Inest lepos ludusque in hac comoedia
14 Ridicula res est': . . .

Asinariam laude ornat satis magna, cum hoc ipsum bonae comoediae sit lepore et ludo instructam argumentum ridiculum praebere, quo spectatorum risus captetur [2]); his autem

214 'Etiam Epidicum, quam ego fabulam aeque ac me ipsum amo,
215 Nullam aeque invitus specto, si agit Pellio'

etiam maiore afficit Epidicum, cum non minus se eam amare dicit quam se ipsum; quorum utroque ex loco affatim cognoscimus eum suam poesim non parvi fecisse. Quod etiam expressius affirmasset neque multo a Naeviana superbia recessisset, dummodo elogium a Gellio (I 24, 3) traditum:

'Postquam est mortem aptus Plautus, Comoedia luget,
Scaena est deserta, dein Risus, Ludus Iocusque
Et Numeri innumeri simul omnes conlacrimarunt'

[1]) quos spurios esse Ritschelius (Parerg. p. 233) propter Plauti nomen versui 11 innexum putavit; quem secuti sunt Dziatzko (De prol. Plaut. et Terent. quaest. sel., diss. Bonn 1863, pp. 18—22) et Ribbeckius (Rh. M. 37, p. 55); sed prologum cum omnia verae originis signa prae se ferre tum nomine Macci ipso defendi Leo ostendit (Pl. F. p. 200). [2]) ceterum Leo bene adnotat ex hac fabulae commendatione iam quandam Terentianorum prologorum originem esse intellegendam (Pl. F. p. 200; cf. L. G. p. 108).

genuinum esset. Ritschelius quidem asseveravit (Parerg. p. 41) ei prorsus fidem esse habendam, neque argumento epigrammatis nequaquam dubitationes mihi iniectas esse infitior. Si quis enim in eo offenderit, quod risus, ludus, iocus, numeri tamquam pro vivis habentur, ab eo petierim, ut legat Merc. versus 845—846, ubi praeter vitam, amicitiam, civitatem, laetitiam et ludus et iocus ipsi nominentur sodales, et Bacch. versus 115—116, ubi, quasi dei sint, cum Amore, Venere aliisque componantur. Sin autem quis dixerit Plautum vix tantis laudibus tamquam in sublime se sustulisse, in memoriam revocet, quid de Naeviano epigrammate exposuerim. Quapropter argumento nihil inesse video, quo carminis auctoritas debilitetur; attamen alia quaedam res mihi est offensioni, ut iampridem aliis fuit: nonne summa admiratione afficimur Plautum, si elogium scripsisset, hexametris usurum fuisse? Qua re perducti quidam coniecturis maxime variis temptaverunt, si senarios restituerent; quorum conamina recte castigavit Ritschelius, neque ullo modo facere possumus, quin hexametros agnoscamus. Quod autem idem vir doctissimus: 'quasi vero, inquit, non potuerit, quamvis diverso in genere versari solitus, etiam ad hoc aliquando tamquam ludibundus accedere', non assentior; neque opinio eius fulcitur eo, quod Plautus elogio ipso numeros innumeros[1]) usurpavisse dicitur, cum haec metrorum varietas ad comoediam tantum pertineat, de qua sola carmine agitur. Ergo quamvis in Naevi elogio tractando monuerim, ne quid improbabile esse temere opinaremur, nisi nostrum elegantiae iudicium iuvaret, hic tamen nostras rationes illi de Plauto memoriae praeferendas esse censeam. Nonne id ipsum Plauti est non, ut fecerunt Livius Naevius Ennius, complura litterarum genera coluisse, sed primum Romanorum penitus comoediae soli se dedisse? Itaque verisimillimum est eum, simodo ipse elogium sibi condidisset, eos numeros adhibiturum fuisse, in quibus semper versatus erat, ut etiam metris scaenicum poetam se fuisse aperte demonstraret. Vix igitur quisquam his temporibus cum Ritschelio opinetur eum ludibundum ad hexametros pangendos accessisse, praesertim cum iam Gellio carmen suspectum fuerit; neque inepte Marxius (Zeitschr. f. d. östr. Gymn. 49, p. 398) coniecit iam Varronem de vera origine dubitavisse, cum huic epigramma dandum esse parum profecto verisimile sit, quamquam censuit Baehrensius (fragm. poet. Rom. p. 296). Cuius opinioni prorsus obstare mihi videntur et ea verba, quibus Varro sine dubio de Plauto locutus est: 'in argumentis Caecilius poscit palmam, in ethesin Terentius, in sermonibus Plautus' (Non. p. 374 M) et haec: 'ἤθη nullis aliis servare convenit quam Titinio Terentio Attae; πάθη vero Trabea Atilius Caecilius facile moverunt' (Charis. G. L. I p. 241). Unde primum apparet eum nequaquam ceteris omnibus Plautum praetulisse — quippe a quo omnes vinci carminis huius auctor dicat —, sed aliorum quoque merita agnovisse, dein autem si hos quoque versus pepigisset, duo de Sarsinate poeta iudicia eum facturum fuisse maxime inter se diversa. Epigrammate enim πάθος (infra definiemus, quid sit πάθος comoediarum) Plauti ipsum summis laudibus effertur, cum posteriores palliatarum poetae eo carere dicantur, illo autem loco a Charisio tradito Varro non modo aliis quoque animos movendi facultatem attribuit, sed Plautum ne nominavit quidem inter eos, qui 'πάθος facile moverent'. Cum vero non sit, cur Reatinum doctissimum adeo non sibi constitisse opinemur, carmen ab eo abiudicandum est. Cui autem adiudicandum? Certe cuidam, qui summa artis Plautinae admiratione tenebatur; atque primo versu, quantum ego quidem sentio, carmen non multo post mortem Macci compositum esse indicatur; nonne enim ex eo iam cognoscitur, quanto dolore amici poetae obitu affecti sint, cum Comoedia ipsa lugens fingatur? Itaque probabile esse mihi quidem videtur praeconium illud sub ipsam vel brevi post mortem poetae pactum esse ab homine aliquo, qui iis ipsis, quae obiter supra strinximus, ostentare voluit se peritissimum esse dictionis Plautinae[1]). Quae cum ita se habeant, certe vetustum artis criticae testimonium putandum est elogium illud, quamvis neque cum certo nomine coniungi neque certis temporibus adsignari possit — nam ne me quidem de iis quicquam ultra coniecturas protulisse, praeterquam quod versus non Varronianos esse edocuisse mihi videor, ultro profiteor. — Sequitur, ut Plautus duobus tantum illis fabularum locis (de deperditis enim comoediis omnino non agere licet) suam artem laudaverit; aeque autem atque de sua poesi perpauca dixit, parce ad alios poetas in fabulis quidem spectavit.

[1]) hanc antithesis lusionem Sarsinatem ipsum quoque adamasse adeo pervulgatum est, ut exempla vix desiderentur; illa autem verba ad versuum metrorumque varietatem spectare Ritschelius (Parerg. p. 42) recte dixit.

Quod primum investigaturi sumus, quid de tragoediis senserit, eum non diversis litterarum generibus occupatum fuisse, sed comoediis solis studium impertivisse reminiscamur; unde per se conicias eum tragicis adversarium fuisse, quippe qui cum eo in scaena quasi certarent de aura populari captanda. Si quis autem eum saepius atque iterum tragoedias in fabulis suis cavillatum esse exspectet, satis longe aberret

[1]) quam Cocchia quoque (Gli epigrammi sepolcrali etc. Neapel 1893, Estratto dal vol. XVI degli Atti dell' academia di archeologia, lettere e belli arti pp. 353—354), qui perperam, ut opinor, Plauto ipsi versus ascribere studuit, rectissime recognovit.

a vero, cum paucissimi revera loci ad illas irridendas attineant. Suo enim iure Leo (Pl. F. pp. 132—137) monuit Aristophanem semper fere ludibrii causa stilum tragicum imitatum esse, mediae quam vocamus comoediae poetas consulto ac serio eum in fabulas inseruisse, novae poetas simulque Plautum utrumque paratragoedandi genus adhibuisse, quorum illud rarissime cognoscere nobis iam liceret; idcirco caveamus, ne nimis arguti eum tragoedias, ubicunque dictionem earum aemuletur, in risus convertere hariolemur. Quibusdam tamen locis satis aperte tragicorum gravitatem illusisse videtur; velut hac ipsa mente eam imitatus est Pseud. versibus

702 'Io,
703 Io, te, te, turanne, te rogo, qui imperitas Pseudolo';

nam haec elata appellatio toti actionis conexui minime consentanea et vox tyranni inepta est, qua servi dominus nominetur; praeterea autem Charinus v. 707 expresse dicit carnuficem Pseudolum 'paratragoedare', cum hic ipse v. 702 se illum magnufice i. e. tragicorum ritu compellaturum esse pronuntiaverit. Neque minus Amphitruonis prologo[1] tragoediae per iocum tanguntur. Mercurius enim versibus 41—45

41 'Nam quid ego memorem — ut alios in tragoediis
42 Vidi Neptunum, Virtutem, Victoriam,
43 Martem, Bellonam commemorare, quae bona
44 Vobis fecissent — quis benefactis meus pater,
45 Deorum regnator, architectus⟨t⟩ omnibus?'

negat se quorundam in tragoediis prologorum morem secuturum esse, qui quid boni singuli dei spectatoribus fecerint, enumerent; quibus versibus, licet Leonis sententia accepta iam Graeco exemplari attribuendi sint, veri simile est Plautum simul Romanas fabulas in animo habuisse, quippe quae, ut erant tralatae e Graecis, facillime eiusmodi prologis instructae esse possent; quorum cum nullus nobis servetur, certius aliquid coniectare otiosum est. Sed negaverit fortasse quispiam Mercurium tragoediarum earum, quas commemoret, prologos perstringere; namque eum non universe vituperare, quod deorum beneficia enumerentur, sed id tantum versibus illis affirmare se eo labore supersedere, cum quot et quanta beneficia a summo deo acceperint nemo spectatorum non ignoret. Quod per se non iniuria mihi obici quamvis concedam, tamen illas in tragoediis enumerationes hoc loco a Mercurio carpi censeam, quod primum Reitzensteinius (Hermes 35 p. 622—626

[1]) qui aliorum fortunam non effugit; nam is quoque a Ritschelio (Parerg. pp. 225 et 232) damnatus, a Trautweino (de prol. Plaut. indole atque natura diss. Berlin 1890, p. 59) defensus, a Leone (Pl. F. p. 215) in fidem restitutus est.

fragmento quodam Argentoratensi adhibito papyraceo bene edocuit ne in Graeca quidem nova comoedia prologos defuisse, quibus poeta consulto se usitatas deorum orationes praebere spectatoribus aut taedium verborum obscuritate inferre nolle negaret, deinde autem versibus subsequentibus — versus enim 46—49 indicant tantum, cur Mercurius ita agat — manifesta in tragoedias irrisio legitur, quae quin ad aequales Plauti tragicos referenda sit vix dubitemus: an quicquam est, cur versus

51 'Post argumentum huius eloquar tragoediae.
52 Quid contraxistis frontem? quia tragoediam
53 Dixi futuram hanc? deus sum, commutavero.
54 Eandem hanc, si voltis, faciam ex tragoedia
55 Comoedia ut sit omnibus isdem vorsibus'
59 'Faciam ut conmixta sit haec tragicomoedia'

iam Graeci exempli fuisse aut cur Latinum poetam suam sententiam proferre negemus? Primo igitur Mercurius, cum se 'tragoediae' argumentum elocuturum esse pronuntiat, tantum spectatoribus inicit terrorem, ut statim indignatione imbuti frontes contrahant, ac deinde eos, ne tragoedia ageretur, iam veritos timore liberat, cum ex tragoedia comoediam vel tragicomoediam se facturum esse pollicetur. Quibus dei verbis Plautus non sine aliqua suarum litterarum laude significanter declarat Romanos tragoedias posthabere ac postponere comoediis, simulque de altero genere scaenico satis salse ac mordaciter iudicat; qua censura, etiamsi ad omnes tragicos pertinet, ei praecipue carpuntur, qui illis temporibus praeter ceteros floruerunt. Qui autem in iis numerandi sunt? De Livio Andronico vix cogites, quem tum iam 'in communem locum abisse' verisimile sit, Naevius vero non tam tragoedias quam comoedias suscepisse scribendas videtur; solus igitur restat Ennius, qui illis condendis laudem satis magnam sibi conciliavit; itaque cum omnes tragicos tum Ennium ipsum hoc loco perstringi vix temere coniectaris. Nonne vel per se probabile est Plautum, principem comicorum, interdum Ennium, principem tragicorum aequalem, petivisse? Quamquam de commercio quod fuerit inter eos, nihil compertum est, nisi quod prologus[1]) Poenuli ab his versibus exorsus:

1 'Achillem Aristarchi mihi commentari lubet:
2 Inde mihi principium capiam ex ea tragoedia.
3 'Sileteque et tacete atque animum advortite:
4 Audire iubet vos imperator' histricus'

[1]) qui essetne vere Plautinus cum Ribbeckius (Röm. Trag. p. 116) dubitavisset, Leo in universum quidem genuinum eum esse ostendit (Pl. F. p. 210), quamvis singuli fortasse loci mutati essent; cui plane assensus est Vahlenus.

Achillis Ennianae verbis maluit quam suis ad silentium et audientiam spectatores vocare [1]; concedit igitur Plautus Rudinum poetam, cum nomen eius reticet, omnibus notum et clarum esse. Sed qua de causa hos Ennianos versus in suum prologum traduxit? Non deerunt, qui eum suae quoque fabulae exordium illud aptissimum duxisse putent: quod fieri potuisse quamquam nemo prorsus negaverit, ego eum alio fortasse consilio hunc locum mutuatum esse coniciam. Reminiscamur enim ceteris prologorum locis, quibus ut taceant spectatores moneantur, uno tantum verbo Plautum uti [2]; quod tamen duobus [3]) locis duo verba componit, minime synonyma consulto cumulat; quorum illo 'accipere' non idem esse atque 'animum advortere' facile ita concedas, ut poetam *ὕστερον πρότερον*, quae dicitur, figuram adhibuisse censeas, cum ei, logicae si praecepta accurate tutatus esset, potius 'animum advertite, ut accipiatis' dicendum esset; hoc autem loco, quamquam duo verba, quae idem fere significant, coniungit, ex utroque enuntiatum pendere vult, ut utrumque, si non desideretur, non iniuria ponatur; nusquam igitur in cumulatione verbis redundante offendimus. Cum autem Ennianus ille tribus synonymis refertus sit, num audacius concludamus Plautum ea mente eum transtulisse, ut tumorem et gravitatem cum tragicorum tum Enni ipsius irrideret, sicuti in prologo Amphitruonis verbosas illas enumerationes carpsisse videtur? Quod mihi quidem haud improbabile videtur. — Ac porro Ladewigius (anal. scen. Neustrelitz 1848, p. 22) etiam Cistellariae loco quodam Sarsinatem poetam in Rudinum iocatum esse coniecit; exponebat enim vir doctissimus versus

638 'Recipe me ad te Mors, amicum et benevolum'
641 'Per⟨i⟩imus miserae. ‖ Utrum hac me feriam an ab laeva latus?'

ineptos et pueriles semper indignos sibi visos esse, qui Plauto reliquis in rebus diligentissimo et sanissimo ipsi tribuerentur, dum sibi in mentem venisset eos per iocum ex tragoedia aliqua atque ita ex Aiace Enniana sumptos esse, ut Alcesimarchus Plautinus ageret Aiacis Enniani partes; ergo Maccium Aristophaneo more ludificasse tragicum aequalem. Quod firmissimis fundamentis munire sibi videbatur, cum autumabat Sophocleae Aiacis versum

854 *'ὦ Θάνατε, Θάνατε, νῦν μ' ἐπίσκεψαι μολών'*

simillimum esse versui

638 'Recipe me ad te Mors, amicum et benevolum';

[1]) verba Vahleni (p. XXI) affero. [2]) Amph. vv. 15; 38; 95; 151; Asin. v. 14; Cas. v. 29; Poen. vv. 58; 123; Trin. v. 22. [3]) Menaech. v. 5; Trin. v. 11.

Plautum igitur versum 638 ex Ennio sumpsisse, qui eum ad Sophocleum illum finxisset. Quod autem iam per se non sine aliqua difficultate ita ex duobus versibus, quorum verba satis insuper inter se discrepant, eum restituas, qui inter utrumque ponendus sit, tota Ladewigii argumentatio eo praecipue labitur, quod Ennium, cuius nullam fabulam certo ad Sophoclem revocare possimus (F. Skutsch RE V p. 2594), Aiacem ad Graecae illius tragoediae ipsius exemplum expressisse veri dissimile est (Vahlen p. CCI); deest igitur, cur Ladewigium sequamur. Quamquam aperte in illo versu tragicum stilum cognosci minime nego, neque vero 'pueriliter atque inepte', ut Ladewigius iudicavit, Plautus eum aemulatus est, sed sua potius ratione atque arte, qua sublime genus dicendi adhibere solebat cum in aliis rebus, tum in appellationibus deorum (Leo Pl. F. p. 134); invocatur autem hoc loco Mors dea. — Postremo Fridericus Schoell (Rh. Mus. 44 p. 160) probare studuit Plautum etiam Annalium [1]) locum quendam in Truculentum suam leviter per iocum mutatum transtulisse; satis enim ingeniose dicebat ex illa generosa Pyrrhi de captivis reddendis oratione Enniana (ann. lib. VI vv. 194—196 V.):

194 'Nec mi aurum posco nec mi pretium dederitis:
195 Non cauponantes bellum, sed belligerantes,
196 Ferro, non auro, vitam cernamus utrique'

verba 'ferro, non auro' a poeta comico ad iocum meretricium inversa et traducta esse in Truculenti versum

929 Auro, ⟨h⟩au fer⟨r⟩o, deterrere †potest, ne amet, Stratop⟨h⟩anes'.

Sed iam Vahlenus (p. XXI) hanc coniecturam, quae primo obtutu nemini non arrideat, improbandam esse edocuit et hanc Plautinam sententiam ex re meretricia ipsa nasci dixit; atque omnino ferrum auro quasi contrarium haud raro opponitur: veluti Livius (V 49, 3) Romanos a Camillo dictatore monitos esse narrat, ut ferro, non auro patriam a Gallis captam recuperarent; itaque quamvis Schoellium prorsus refellere non possimus, tamen tam certo ex similitudine verborum colligi licere ei non concedemus; suo enim iure Vahlenus addit esse quaedam [2]) in oratione Enniana, quae cum Plauti versibus conferri possint, neque vero alterum ab altero ea sumpsisse credendum esse, cum etiam ex communi sermonis usu ab utroque promi potuerint; quapropter il-

[1]) quamquam hic locus non ad Ennium tragicum, de quo adhuc egimus, sed ad epicum poetam spectat, tamen haec mihi hic adicere liceat, praesertim cum viro doctissimo illi assentiri nolim. [2]) exemplis ab eo collatis adiciam et in Stichi versu 5 'sollicitae noctes et dies' et in Annalium versu 334 'sollicitari . . . noctesque diesque' eadem fere verba legi.

Iam Schoelli coniecturam neglegere malimus. — Unde summa facta statuimus Plautum interdum iudicia de altero dramatis genere fecisse et Ennium fortasse ipsum perstrinxisse, nobis autem perpaucis tantum locis ea recognoscere licere, praesertim cum nusquam ullum aequalium poetarum nomen legatur. Quo igitur iure Ladewigius (l. s.) dixerit eum 'saepissime' poetas tragicos irrisisse atque carpsisse, ego quidem ignoro.

Quatenus comicos poetas tetigerit nunc inquisituri praemoneamus Casinae prologo totum quasi florem commemorari, qui Plauti aetate comoedias docendas susceperit; minime igitur ei deerant, quibuscum in certamen descenderet. Attamen hic quoque rarissime criticae in aemulos versae vestigia eruere iam possumus, nedum ea, cum flos ille poetarum tenebris quasi obscuretur, cum certis quibusdam nominibus conecti possint. Neque primum quid Sarsinas poeta universe de comoediis dixerit, attingere quidem absurdum sit. Quarum neque argumenta neque dictionem severa aut grandia esse mea[1]) quidem sententia ipse confitetur Pseudoli versibus:

1081 'Nugas theatri: verba, quae in comoediis
1082 Solent lenoni dici, quae pueri sciunt',

quibus tamen histriones comicos nihil nisi scurrilia in scaena agere non affirmat, cum Rudentis versibus[2])

1249 'Spectavi ego pridem comicos ad istunc modum
1250 Sapienter dicta dicere atque [i] is plaudier'

etiam sapienter dicta iis attribuat. Porro duobus locis (Cas. v. 1006; Merc. v. 1007) monet, ne nimis longa fabula sit; quae ut eodem fere utriusque comoediae loco legantur, casu nimirum factum est neque quisquam inde eum praecepisse colligat, ut mille circiter versus fabulae amplecterentur, cum ipse plus quam semel aliquanto hunc numerum transgressus sit. Ad vanas vero ariolationes delabatur, si quis hoc modo ad poetas quosdam eum spectavisse suspicetur, qui nimio versuum numero spectatores fatigarent. — Contra certo comici quidam perstringuntur versibus, quos in Menaechmorum prologo[3]) legimus hos:

7 'Atque hoc poetae faciunt in comoediis:
8 Omnis res gestas esse Athenis autumant,
9 Quo vobis illud graecum videatur magis:

[1]) dissentio a Kiesslingio, qui (Rh. M. 23 p. 426) verbis 'nugas theatri' in suspicionem vocatis versus 1079—1086 ab histrionibus interpolatos esse opinatus sit. [2]) qui versus utrum ex exemplo sumpti an a Latino demum poeta additi sint, neque ullius momenti est neque erui potest. [3]) cuius de origine docti iterum tam diversa coniecerunt, ut ea commemorare paene pigeat; modo enim totum abiudicaverunt a Plauto velut Ritschelius (Parerg. p. 233),

10 Ego nusquam dicam, nisi ubi factum dicitur.
11 Atque adeo hoc argumentum graecissat: tamen
12 Non atticissat: sed sicilissat'; . . .

ac largiamur eos iam Graecae fabulae fuisse[1]), Plautum quoque ad certos quosdam iis spectasse facile concedamus; quae nisi voluisset, totum hunc locum eum omissurum fuisse mihi quidem persuasi. Quapropter nisi quis forte haec verba non serio, sed 'scurriliter' dicta esse opinatur Leonem (L. G. p. 215) secutus, fieri non potest, Romani quin comici hic a Sarsinate poeta carpantur, qui ut graecissimo, si ita dicere liceat, colore fabulas imbuerent, Athenis omnia fieri fingebant, cum ipse se ita atticissare velle neget: ac profecto XX fabularum (Vidularia omissa) XII tantum in illa urbe ipsa agi fecit. Quosnam autem aemulos 'graecissantes' sic vellicet, ne conicere quidem licet, sed certe erant in illo 'flore poetarum', cui nimirum etiam Ennius et Caecilius et Naevius fortasse adnumerandi sunt. — Quodsi hoc loco non sine aliqua probabilitate iudicium artis criticae iam tenere nobis videmur atque id tantum nescimus, in quos versa fuerit, his locis, quos nunc commemorabo, ne illud quidem certo contendere possumus. Fieri enim potuit, ut poeta Latinus vel iam Graecus Pseudoli versibus

1239 'Nunc mihi certumst alio pacto Pseudolo insidias dare
1240 Quam in aliis comoediis fit, ubi cum stimulis aut flagris
1241 Insidiantur' . . .

in eos comicos illuderet, qui easdem semper insidias in fabulis fieri fingerent. Porro autem in Vidulariae prologo pessima condicione nunc uso aemuli a Plauto petiti esse videntur (Leo Pl. F. pp. 217—218; Süss l. s. p. 448), cum etiam nunc verba 'potentiam inimicorum' recognosci posse putentur; quae recte si se habent, hic prologus accessit ad morem Terentianorum, atque eo magis eum ipsum perisse dolemus. Sed haec utraque adeo tamquam per caliginem videmus, ut iis locis, quamvis commemorentur oporteat, quaestionis fundamentis uti nolimus. —

modo hos, modo illos versus resecuerunt (P. Langen: ind. lect. Monast. 1873, p. 4; Dziatzko: Neue Jahrb. 107 p. 833); sed recte iterum Leo (Pl. F. pp. 203—206) eum a poeta ipso ad archetypum Graecum effictum esse censuit.

[1]) quod ceterum certo colligamus necesse non est ex verbis atticissandi, sicilissandi, graecissandi, quae quamquam Graeca in — *ίζειν* exeuntia imitantur, tamen a Plauto ipso adici potuerunt; namque Leo (Pl. F. p. 106) nequaquam omnia vocabula Graeca, quae apud Plautum leguntur, ex archetypis sumpta esse satis, ut credo, docuit; praeterea verbum 'graecissandi' pariter ac verbum 'pergraecandi' (Most. v. 64) ab eo ipso fictum esse certum est, cum Graecum poetam non '*γραικίζει*', sed '*ἑλληνίζει*' potius dixisse, simodo dixerit, nemo neget.

Vestigium denique *κρίσεως* Plautinae etsi se esse simulant, revera non sunt Captivorum[1]) versus:

55 'Non pertractate factast neque item ut ceterae,
56 Neque spurcidici insunt vorsus immemorabiles:
57 Hic neque periurus lenost nec meretrix mala
58 Neque miles gloriosus' . . .

quibus addendi sunt versus

1029 'Spectatores ad pudicos mores facta haec fabulast,
1030 Neque in hac subigitationes sunt neque ulla amatio
1031 Nec pueri suppositio nec argenti circumductio,
1032 Neque ubi amans adulescens scortum liberet clam suom patrem.
1033 Huius modi paucas poetae reperiunt comoedias,
1034 Ubi boni meliores fiant' . . .

Utrique enim ita intellegendi sunt, Graecus[2]) ut poeta usitata comoediarum argumenta iis improbaverit; Plautum autem, quid ipse de hac re sentiret, simul iis professum esse equidem pernegem atque infitier; quod si fecisset, eum minime sibi constaturum fuisse statim intellegemus, cum XXI eius fabularum in VI vel VII tantum meretrices non prodire, nullam autem praeter Captivos ipsam amationibus carere meminerimus[3]). At quaesiverit fortasse quispiam miratus, cur Sarsinas poeta, quippe qui illam Graeci sententiam non sequeretur, hos versus non omiserit; neque enim neglegentiam tantam, ut quaecunque in exemplis repperisset, in suas fabulas transferret, ei tribuendam esse iam supra asseveravimus. Quibus translatis nihil aliud, opinor, spectavit nisi ut in initio spectatoribus ipse indicaret, quantum haec fabula discreparet ab usitatis, quas antea proponere solitus erat; timuisse enim videtur, ne populus, cum pro amatoriis, quae appetebat, praeter spem severiora agi vidisset, sibilis se consectaretur; quod ut pro sua parte prohiberet, ipse, qua natura haec comoedia esset, iis dixit eorumque benevolentiam captavit. An minus ei quam Graeco poetae verendum erat, ne eiusmodi fabula caderet? Num ignoramus Terenti Hecyram, utpote qua nulla fere scurrilia aut faceta continerentur, bis repulsam tulisse, priusquam

1) cuius prologi fides cum deminuta esset Ritschelii auctoritate (Parerg. p. 232), iterum restituta est a Leone (Pl. F. p. 205), qui 'in eo nihil esse, quod non iam exemplaris esset vel posset quidem esse' satis probaret. 2) quibus in temporibus exemplum ponendum sit, ad nostram quidem rem nihil fere attinet; cf. Leo: Pl. F. p. 141; Hüffner: de Plauti com. exemplis Atticis quaest. etc. diss. Göttingen 1894, p. 42; v. Wilamowitz: ind. schol. Gott. 1893—1894, p. 13; A. Dieterich: Nekyia (1893) p. 138. 3) quomodo aliae quoque personae ut leno, miles etc. etc., quos procedere Graecus poeta non vult, a Plauto ipso saepius atque iterum inducantur, bene explanat Ribbekkius (Gesch. d. röm. Dichtung I pp. 63—87).

tota acta est? Ii autem versus, qui in fine leguntur, eodem consilio scripti sunt, ut plausum spectatorum captarent. Restat denique, ut eorum dubitationes removeamus, qui quod Plautus, cum ita haec se habeant, omnino hanc fabulam in Latinum susceperit vertendam, mirentur. Quem exempla non e scriniis librariorum petivisse, sed ea, quae tum Graeca in scaena maxime ferebantur, vertisse Wilamowitzius (ind. schol. Gott. 1893—1894, p. 16) recte exposuit; sperabat igitur suam fabulam placituram esse, ut Graeca placuerat, sed ne forte propter argumentum eius inusitatum spe destitueretur, illa verba et praemisit et in fine posuit, quae iam Graecum[1]) poetam eadem mente et praemisisse et in fine posuisse persuasum habeo. Itaque Plautus his versibus nequaquam suum de argumentis eligendis iudicium proposuit et recte eos simulare tantum se criticae artis reliquias esse supra diximus, quantum quidem ad Latinum poetam pertinent. — Quae in hac quaestionis parte adhuc tractavimus, universe in comicos referri potuerunt, cum, quae supersunt, coniecturis quidem cum certis nominibus coniungere liceat. — Primum enim monendum est Plautum Mostellariae versibus:

1149 'Si amicus De⟨i⟩philo aut Philemoni's,
1150 Dicito [i]is, quo pacto tuos te servos ludificaverit:
1151 Optumas frustrationes dederis in 'com[m]o⟨e⟩diis'.

Philemonem et Diphilum laudasse; quem locum Leo (Herm. 18 pp. 560—561) recte ita explicavit, ut iam Philemonem, cuius Phasma Mostellariae exemplum fuisse optime probavit Ritschelius (Parerg. pp. 159—160), suae ipsius comoediae suum Diphilique nomina inseruisse et iocose sui, Diphili honorifice mentionem fecisse suspicaretur; apertum autem est a Plauto, qui haec verba fideliter atque consulto de exemplari transtulerit, utrumque Graecum honorifice nominari; quod vero et ipse affirmat eos optimas frustrationes in comoediis dare, non miramur recordati illos ipsos eum sibi proposuisse imitandos. Sed quamvis illos laudandi occasionem ab eo arreptam esse videre nos iuvet, magis tamen scire cupimus, quatenus eos comicos aequales tetigerit, quos ex adumbratione quidem novimus, i. e. Naevium, Ennium, Statium Caecilium. De Ennio tragico cum supra egerimus, restat, ut ullum Plauti locum, quantum perspicimus, ad comoedias eius spectare negemus; quamquam Umbri poetae iocum a Calabro elicitum esse eo facilius exspectes, quod hunc in comoedia valde claudicasse satis constat, atque exstent fortasse hic illic in fabulis Plautinis irrisiones, quae tamen a nobis iam non intelleguntur. Quod dein ad Naevium attinet, inter utrum-

1) quem quod iudicium satis acre de vulgaribus comoediarum argumentis verbis illis fecisse nostram quidem ad rem non attineat.

que amicitiam quandam fuisse iam supra conieci; neque tamen fieri non poterat, ut alter alterum interdum carperet. Sed ut iam in Naevii reliquiis frustra tale quid quaesivimus, sic de Plauto nihil certius affirmari licet, nisi quod Campani poetae Colacem ad exemplum Menandri effictam retractasse[1]) videtur; per se autem intellegitur eum ad hanc fabulam aggressum id ipsum studuisse, ut illius conamina superaret et corrigeret. Quod utrum tacite eum fecisse an expresse in prologo affirmasse putas? Ego hoc alterum suspicer; etiamsi enim aemulos adoriri Plautinorum prologorum universe quidem non erat, in nonnullis tamen iam primordia talium intentionum divinare supra potuimus. Accedit, quod Plautus hic tantum, ni omnia fallunt, fabulae a Latino poeta iam versae operam impertivit; nonne igitur res ipsa tulit, ut illius comoediam stringeret, utpote in qua, quae essent vituperanda et corrigenda, non deesse putaret? Quamquam nomen Naevi ipsum in prologo commemoratum esse ne opinemur, cum et prorsus hoc abhorruisset a consuetudine Plautina et spectatores, qui poeta idem argumentum iam antea scaenae accommodavisset, ultro scirent. Mihi igitur admodum probatur Plautum, simodo Ritschelius recte de illo Terenti loco (Eun. prol. v. 25) disputavit, in prologo Colacis retractatae Naevium cavillatum esse. Quod autem Ribbeckius (Röm. Trag. p. 48) coniecit illum etiam ad tragoediam huius quandam allusisse, cum Bacchidum versus

936 'Non sunt tabellae, sed equos quem misere Achivi ligneum'

ad 'Equum Troianum' Naevi referendus esset, assentiri nolim, cum tota illa scaena ex Graeco exemplo sumpta esse videatur; neque enim est, cur a Latino demum poeta hunc versum optime cum aliis cohaerentem additum esse suspicemur, et praeterea eiusmodi significatio certe obscurior fuisset, quam ut a spectatoribus intellegeretur. Ceterum quod idem vir doctissimus verba quaedam Plauti Naevianam dictionem imitari arbitratus est, talia etiam ex aliorum tragoediis sumi potuisse ipse concessit. — Restat, ut de Statio Caecilio pauca dicamus. Cum Naevium eadem fere aetate ex urbe abisse verisimile sit, qua Plautus litteris studere coepit, ille per annos satis multos[2]) Romae aemulus eius fuisse videtur; unde eos non tacitos de palma certasse iam collegeris, praesertim cum uterque comico tantum dramatis generi se daret. Cum autem comoediae eius totae fere pessum ierint, nobis utriusque operibus comparatis enucleare iam non licet, num qui loci

[1]) quod verisimile esse Ritschelius, qui (Parerg. pp. 99—104) aliorum de hac fabula opiniones reppulit, arguta argumentatione mihi quidem persuasit. [2]) de aetate Caecili egit Skutschius RE III pp. 1189—1190.

Plautini ad Caecilium irridendum vel castigandum spectent. Unum tamen locum non sine aliqua probabilitate ad eum referre mihi videor. Manifesta enim comicorum quorundam irrisio inest Mercatoris[1]) versibus:

3 'Non ego item facio ut alios in comoediis
4 Vi ⟨vi⟩di amoris facere, qui aut Nocti aut Dii
5 Aut Soli aut Lunae miserias narrant suas';

recte autem Guilelmus Frantz (de com. Att. prologis, diss. Strassburg 1891, pp. 46—47) edocuit iam Philemonem has solis, lunae, diei per amantes implorationes, quae et in tragoediis[2]) et in comoediis satis tritae essent, ioco atque lusui habuisse eoque modo Menandrum imprimis perstrinxisse. Quae invocationes mollissimae perquam alienae sunt a Plauti moribus, et monendum est nullo, ni fallor, loco fabularum, utpote in quibus plus quam satis multi prodeant, amantes in tales lamentationes delabi. Quae cum ita sint, fieri non potest, quin Plautus in aequales comicos Romanos illudat, qui illas querelas ipsas e Graecis in suas comoedias intexuerant. Quod autem frustra et Enni et Caecili fragmenta comica num tale quid invenirem me perscrutatum esse, confiteor, coniectura mea minime refellitur, cum paucissimae eorum reliquiae exstent, quae plerumque unum tantum versum amplectantur. Demonstravit vero Frantzius Menandrum eiusmodi solis etc. appellationes adamasse, deinde eundem maxime Statio Caecilio imitationi fuisse constat (Skutsch RE III p. 1190), postremo compertum habemus (Ter. Hec. prol. v. 22) huic, cum primas fabulas doceret, atrociter cum 'adversariis' pugnandum fuisse. Num ex his tribus sumptionibus falso concludemus Caecilium illas solis etc. per amantes invocationes ex Menandreis in suas fabulas transtulisse et idcirco his versibus a Plauto car-

[1]) cuius prologus iudicia doctorum maxime varia nactus est; Ritschelius (Parerg. pp. 16 et 233) enim veram originem ei derogavit eiusque versus ita mutavit, ut hos versus 12—14 esse mallet (p. 18); postea Dziatzko (Rh. Mus. 26, pp. 438—439) ut hos Plauto dempsit, sic etiam alios triginta fere vindicavit interpolatoribus. Quid? quod Reinhardtus (De retractatis fab. Plaut., diss. Greifswald 1872, pp. 15—17) Plautum decem tantum versus finxisse opinatus est, cum duo vel tres interpolatores ita discernere sibi videretur, ut versus 3—7 circa annum a. u. c. 700 additos esse putaret. Tum Trautweinus (l. s. pp. 32—42) fidem prologi restituit brevique post Frantzius (l. s. s.) hos versus e Philemonis fabula ipsa translatos esse exemplis satis amplis allatis probavit; Leo denique (Pl. F. pp. 151 et 215) eos non modo non subditivos esse, sed ipsos testari prologum vere Atticum esse autumavit. [2]) unum quidem exemplum ex Ennio sumptum afferam, etsi hoc loco non amans quaedam, sed misera loquitur (scen. vv. 257—258 V.):

257 'Cupido cepit miseram nunc me proloqui
258 Caelo atque terrae Medeai miserias'

ptum esse? Equidem sic colligere ausim. — Itaque vidimus Plautum, ut tragicos raro irrisit, sic etiam aemulos ipsos sparsim tantum vellicasse. Ex tota autem paragrapho sequitur, ut Sarsinas poeta saepius neque suam artem sicuti Ennius aliique celebraverit neque alios litteratos cavillatus sit. Quamvis enim aequalium opera non habeamus servata, ut multae fortasse irrisiones alternae nobis lateant, tamen hoc iam affirmare possumus Plauti quidem non fuisse expressis verbis aemulos perstringere; nec minus certum est eum aestheticam, quam dicimus, *κρίσιν* non exercuisse, sed ut fors ferebat, alia laudabat alia irridebat certas criticae rationes minime secutus. Praeterea autem hoc quoque ex tot eius comoediis servatis discimus in aliorum fragmentis tractandis summam nobis cautionem adhibendam esse; etenim haud paucos, quos cum usui non fuisset annotare nolui, versus Plautinos, si solos per se intueamur, ad artem criticam coniecturis referre possimus; quod ne faciamus, conexu sententiarum ipso impedimur. Me autem iam in his quaestionibus tam cautum me praestitisse spero quam oportuit. Sed nunc ad Ennium progrediamur!

§ 3. De Ennio et Statio Caecilio.

Quod gloriae cupiditatem primarium criticae fontem esse supra vidimus, Ennium suam artem summi duxisse asseverandum est. Maxime enim naturae eius consentaneum est illud (ann. lib. inc. 560 V.):

'Omnes mortales sese laudarier optant',

quod de se ipso eum expertum esse Augustinus (de trin. XIII 3, 6) affirmat; ac simile aliquid pronuntiat versu (inc. VIII V.):

'adsectari se omnes cupiunt'.

Adice, quod primus discrevisse atque distinxisse videtur, quid interesset inter vatem et poetam; nam praeter illum de Naevio locum, quem interim omittamus, vates nominat superstitiosos et impudentes; quo loco (scen. 319 V.) quamquam de sacerdotibus vel auguribus agitur, haud scio an Ennius huic voci eiusmodi attributa non adiecturus fuerit, si sibi ipse idem nomen indidisset. Poetas autem sanctos appellat (inc. XIX V.)[1], 'quod quasi deorum aliquo dono atque munere commendati nobis esse videantur'. Ut vero negotium suum designaret, vulgare scribendi verbum aspernatus novum 'poetandi' (sat. lib. inc. V V.) invenit, cum Naevium rem 'scripsisse' contemptim diceret. Atque quod poetam eum esse, qui ⟨carmina⟩ faceret supra definivimus, Ennius 'quibusdam'

[1]) enuntiato causali 'quod quasi . . . videantur' Ciceronem significare, quid Ennius ipse dixerit, appareat ex coniunctivo 'videantur'.

acrostichidem 'Q. Ennius fecit' innexuit (inc. LIII V.); quo artificio, quod una cum epigrammate ab Alexandrinis mutuatus est (Diels, sibyll. Blätter [1890] p. 35), operi alicui[1]) si non aperte, attamen satis expresse immisit suum nomen. Quanti se ipse aestimaret, etiam manifestius ostendit primi Annalium libri prooemio[2]), quo finxit sibi in Helicone (Lucr. I 118 Lachm.) somno leni revincto (v. 5) Homerum apparuisse (v. 6), qui animam suam, quae quondam in pavone fuisset (v. 15), nunc in Enni ipsius corpus transmigrasse (schol. ad Pers. prol. v. 2) sibi narrasset; successorem igitur se introduxit semper florentis Homeri ab eo ipso destinatum[3]). Cuius ex ingenio Annales immortalem gloriam adepturos esse sibi ipse praedixisse videtur versibus[4]):

3 'Nam latos populos res atque poemata nostra
4 †cluebant'.

Postquam autem gloriam exoptatam sibi peperit, nihil antiquius habet, quam ut eam omnibus praedicet. Summa enim cum sua laude versibus imagini subscriptis (epigr. 15—16 V.)[5]):

15 'Aspicite o cives senis Enni imaginis formam.
16 Hic vestrum panxit maxima facta patrum'

se res a populo Romano praeclare gestas celebravisse pronuntiavit, et alio quodam loco (ann. lib. XII 374—375 V.):

[1]) Skutschius (RE V p. 2600) bene explicavit 'Epicharmum' fortasse intellegendum esse. [2]) ann. lib. I vv. 1—16; quibus de singulis versibus ita disputavit Vahlenus (pp. CXLVI—CXLIX), ut ego quidem quae addam non habeam. [3]) conicere quidem licet eum se alibi 'alterum Homerum' nominasse, ut revera eum nominavit Lucilius (v. 1189 M.); sincero autem ex animo eum alibi Homero parem se esse negasse vix tibi persuadeas Riedneri (l. s. p. 27) opinione probata; quamquam enim legimus apud Suidam (s. v. *Ἔννιος*): ***Σκιπίωνα, ᾄδων καὶ ἐπὶ μέγα τὸν ἄνδρα ἐξᾶραι βουλόμενός φησι μόνον ἂν Ὅμηρον ἐπαξίους ἐπαίνους εἰπεῖν Σκιπίωνος***, ego quidem coniciam eum id maxime studuisse, ut Scipioni ita blandiretur sibi faventi. [4]) nam in hoc fragmento, quod docti varie corrigere studuerunt (cf. Vahleni app. crit. ad h. l. et p. CXLVIII), aliquid inesse, quod futura ad tempora spectat, mea quidem sententia certum est, neque cum Skutschio (RE V pp. 2604—2605) ex imperfecto 'cluebant' tradito Homeri haec verba esse concludam. Lucretium enim coniunctivum 'clueret' idcirco posuisse verisimile est, quod quasi Enni ore loqueretur; quod autem Skutschius hunc Lucreti locum satis arte cohaerere cum Annalibus ipse concedit, cur dubitemus, tangatne Lucretius hic quoque Ennium ipsum, praesertim cum utroque loco verbum cluendi inveniamus? Itaque Vahlenum atque Riednerum (l. s. p. 75) a quibus etiam Leo (L. G. p. 211) stat, sequi malim quam Skutschium. [5]) non perspicio, cur Schanzius (p. 125) hoc epigramma ignoto alicui tribuat Ciceronis testimonio (Tusc. disp. I 15, 34) reiecto; si autem in eo offenderit, quod Ennius in ceteris superbus hoc loco senem se nominavit, eundem se cum equo senio confecto contulisse certum est.

'Sicut fortis equus, spatio qui saepe supremo
Vicit Olympia, nunc senio confectus quiescit'

gloriatur, quod sibi seni multis victoriis reportatis quiescere liceat. Aliquanto autem magis se iactat, cum a nescio quo[1]) versibus (sat. lib. III 6—7 V.):

'Enni poeta salve, qui mortalibus
Versus propinas flammeos medullitus'

magnifice se appellari facit, postremo vero, ut in prooemio Annalium poemata sua clara fore auguraverat, sic idem etiam significantius elogio (epigr. 17—18 V.)[2]):

17 'Nemo me lacrimis decoret nec funera fletu
18 Faxit. cur? volito vivos per ora virum'

praedicat, quo primum callida quadam cum modestia se defleri cupere negat et deinde summa superbia elatus se sua gloria in ore omnium versari addit. — Quod denique Gellio (XII 4) teste Aelius Stilo dixit Ennium se versibus ann. lib. VII 234—251 V. sub persona amici Gemini Servili descripsisse, et Vahlenus (p. 43) et Skutschius (l. s. p. 2592) has hariolationes recte reppulit. Quae omnia si bene commeminimus, Ennius se eximia ad poesim indole praeditum esse persuasum habuit; itaque non miremur, si aemulos, quos a se facillime vinci putaret, carpserit; quod quatenus iam nunc intellegi possit, breviter explanemus.

Atque iterum praemoneamus, quosnam litteratos censura perstringere potuerit: primum ei illae ante Livium litterae praesto erant, quas vellicaret, ac profecto, quae Saturnio metro compositae erant, eas improbavit (quod infra videbimus); praeterea autem tale iudicium non modo cognosci non potest, sed nonnusquam ipse eam scribendi rationem adhibet, quae a commentariis magistratuum atque annalibus ita tantum differt, quod non in solutam, sed in vinctam orationem redacta est; cuiusmodi versus est e. g. (ann. lib. VII 223 V.; cf. [Gercke-] Norden I² p. 327):

'Appius indixit Karthaginiensibus bellum';

1) Lucianus Mueller haud inepte coniecit (l. s. p. 110) a Musa. 2) hoc epigramma ab altero 'aspicite o cives . . .' seiungendum esse bene edocuit Otto Jahn (Herm. 2 pp. 242—243), qui eodem loco quomodo Horatius illud imitatus sit exposuit; quod autem attinet ad originem, 'Ennianum utrumque esse et Cicero credidit et par est nos credere' (Vahlen pp. 215 et CC XVII), ac ne tenuissimo quidem argumento Sihlerus (Amer. journ. of philol. 26 p. 8) coniecturam fulsit, qua a collegis mortui poetae ea condita esse opinaretur. — Ceterum annotem ut in Naevi elogio, sic hic quoque allitterationem reperiri (funera fletu faxit; volito vivos virum) neque scio an recte Bergkius (Philologus 14 p. 187) mutaverit 'lacrimis' in 'dacrumis' (dacrumis decoret).

ceterum quod carmen 'Annales' inscripsit, nomine quidem pontificum annalibus eos adiunxisse videtur; verba vero (Euhem. 69—71 V.): 'itaque pactus est cum Saturno, *uti si quid* liberum virile secus ei natum esset, *ne quid* educaret' adeo legum Romanarum stilum prae se ferunt, ut ea iam in exemplari Graeco ita fuisse vix tibi persuadeas; consulto igitur Ennius legum orationem imitatus est, neque quicquam est, cur eum ludibrii causa eas secutum esse suspicemur. Quod porro attinet ad litterarum arte politarum scriptores, 'Ennius vetustissimos Livium Andronicum et Cn. Naevium fortasse ne novit quidem, quorum ille incertum est quousque vitam ultra a. 547 extenderit' (Vahlen p. XIX). Cuius tragoedias quatenus imitatus sit, erui iam non potest; quod enim Ribbeckius (Röm. Trag. p. 115) eum Achille fabula illius Achillem retractavisse opinatur, coniectura solum utitur, cui tamen aliquam probabilitatem concedas. Hoc autem constat eum epicam quidem suam poesim multo pluris fecisse Liviana, cum Cicero, utpote qui scripta eius optime noverit (Vahlen p. XXXIX), eum versibus 'quos olim Fauni etc.' etiam Livium cavillatum esse affirmet (Brut. 19, 71), quod iam ipsi ex iis concludere possumus. Contra Plautum — nam Naevium interim omittamus — Ennium vidisse verisimillimum est, cum uterque per viginti fere eiusdem aetatis annos Romae moratus sit; sed ut Sarsinatem poetam parce tantum carpsisse Rudinum exposuimus, ita hunc illum omnino non perstrinxisse pro certo ferme habere liceat, cum se frustra in comoedia cum illo contenturum esse ipse certe intellegeret. Itaque si quis putet Ennium versu (fab. inc. 422 V.):

'Quicquam quisquam [quemquam], quemque quisque conveniat, neget',

Plautum tetigisse, qui eiusmodi verborum lusum adamaret (Vahlen ad h. l.), perperam coniciat, praesertim cum ipse poeta Rudinus talibus in argutiis versatus sit (cf. e. g. scen. 234—235 V.; sat. lib. inc. 59—62 V.). Qua de causa Ennio cum Statio Caecilio, quocum ut in vita eum iunctum, sic ne in morte quidem ab eo separatum voluerunt veteres, in poesis genere certare non licuit (Vahlen p. XXII). Pacuvius vero omnino neglegendus est, cum eum vivo avunculo initium tragoedias fecisse docendi parum credibile sit (Vahlen p. XXIII). Neque ullum de litteris prosa oratione conditis iudicium, quae tum efflorescere coeperant, in fragmentis reperimus, nisi quod Rudinum poetam eloquentiae artem plurimi aestimasse satis ex iis apparet. Versu enim Sotae 28 eos commemorat, qui 'rhetorica' noverunt, ann. lib. inc. 582—583 oratores 'doctiloquos' nominat, ann. lib. VII 269 'oratorem bonum' opponit 'horrido militi', M. Cornelio Cethego consuli suaviloquentiam oris tribuit atque 'suadae medullam' eum nominat (ann. lib. IX 303—304; 306—308 V.):

303 'Additur orator Cornelius suaviloquenti
304 Ore Cethegus Marcus Tuditano collega'
306 '   is dictust ollis popularibus olim
307 Qui tum vivebant homines atque aevum agitabant
308 Flos delibatus populi suadaeque medulla',

orationem denique ab Appio Claudio in Pyrrhum habitam dignam esse censuit, quam versibus persequeretur (ann. lib. VI 202—203; Cic. Cat. mai. 6, 16). Neque mirum est, quod eloquentiae ita favet, cum ipse artificiis rhetorum et figuris stilum exornare saepissime conetur (Skutsch RE V pp. 2626—2627; [Gercke-]Norden I^2 pp. 327—328), neque hoc miramur eum Euripidem imprimis imitandum sibi proposuisse recordati; de eo autem dicit Quintilianus (X 1, 68) haec fere: 'is et sermone magis (quam Sophocles) accedit oratorio generi et sententiis densus . . . et dicendo ac respondendo cuilibet eorum, qui fuerunt in foro diserti, comparandus'. Quid? quod praecepta quaedam oratoribus dedisse videtur, cum postularet (inc. 21 V.), ut orator audax esset. — Videmus igitur neminem fere litteratum ab eo petitum esse — praeter Livium ac praecipue Naevium; septimi enim Annalium libri versus clarissimi (213—217 V.)[1]):

213 '   scripsere alii rem
214 Versibus, quos olim Faunei vatesque canebant,
215 Cum neque Musarum scopulos
216   nec dicti studiosus quisquam erat ante hunc.
217 Nos ausi reserare' . . .

ad quos spectent, aperte dicit nomine non nominato. Nam quis alius[2] rem, i. e. 'bellum Punicum' scripserat praeter Naevium? Atque qui poetae versum Faunium adhibuerant nisi Livius et Naevius ipsi? Itaque iam Cicero cui debemus (Brut. 18, 71; 19, 75) hos versus ad illos rettulit; quorum Livius circuitione quadam tangitur, asperrimum profecto iudicium de Naevio fecit, cum eum comparavit cum vatibus, qui olim ritu Faunorum cecinissent. Quod quanti ponderis sit, tum demum perspicies, cum quantopere Ennius voces eas, quae aliqua ex parte cum prisca illa poesi cohaerere ei videbantur, adhibere noluerit deliberaris. Quare eum se non vatem appellasse, sed Graecum poetae nomen sibi

¹) de quibus ordinandis Vahlenus ita disputavit (Abh. d. Berl. Akad. 1887, pp. 12—13), ut Bergkii (kl. philol. Schr. I pp. 273—275) coniecturas prorsus refutaret; textum autem et ordinem ab eo restitutos accipiendos et probandos esse mihi quidem persuasum est. ²) pluralem 'alii' ad Naevium solum pertinere Marxius (Ber. über die Verh. Sächs. Ges. d. Wiss. 1911 pp. 60 — 61) bene edocuit, cum hunc pluralem 'contemptionis', quem vocat, in litterarum censura ipsa saepius usurpari exemplis probavit.

indidisse iam supra commemoravimus; item igitur se ipse nominabat atque Homerum (ann. lib. I 6 V.); nec minus Annales non 'carmina', sed 'poemata' (ann. lib. I 3 V.) esse voluit. Porro non Camenas indigites invocat, sed Musas[1]) Graecas (ann. lib. I 1 V.); quod quanto consilio faciat, maxime elucet ex versu (ann. lib. X 326 V.):

'Insece Musa manu Romanorum induperator'

quem quin primum illum 'Odusiae' Livianae versum (Gell. XVIII 9, 5):

'Virum mihi Camena insece versutum'

recordatus scripserit vix quisquam dubitet; ceterum Casmenae etiam in illo 'Priami carmine' veterrimo commemorabantur (Varro de l. l. VII 28). Nescio autem an Annales suos 'carmina' idcirco dici noluerit, quod carmen et Ca(s)menam quadam quidem a parte inter se cohaerere putabat[2]), cum utraque vox a verbo canendi derivata esset; canunt autem vates ac Fauni (ann. lib. VII 214), cum ipse poetetur (sat. 64 V.). Ergo Ennius a Naevio, qui se poetam[3]) appellari voluisset, hoc nomen quasi abiudicavit eumque ad vates ineruditos reiecit. Quomodo simul se seiunxit atque separavit a prioribus poetis, cum se poetam a Musis[4]) inspiratum esse asseveraret, illos autem vates Camenis rusticis deditos nominaret, quorum nemo 'Musarum scopulos ⟨ascenderat⟩' (v. 215). — Sed etiam aliud in Naevium aliquid versu 216 contineri mihi quidem videtur; cum enim ille se mortuo Romanos Latina lingua loqui esse oblituros in elogio suo pronuntiavisset, Ennius ante hunc, i. e. ante se quemquam dicti studiosum fuisse hoc versu negavit; ac licet ne illud praeconium superbiae plenissimum, quod simodo genuinum esse mihi concesseris, ei non ignotum fuisse credas, in animo habuerit, cum haec verba scriberet, certo Naevium politae dicendi vel scribendi rationis compotem fuisse iis negavit[5]). Neque vero id solum vitio ei dedit, quod stilo in singulis rebus rudi et neglegenti usus esset, sed etiam

¹) cf. Riedner l. s. pp. 11—12. ²) etiamsi enim Waldius (Etym. Wörterb. 1910^2, p. 118) hanc etymologiam falsam esse affirmat, Ennium harum vocum affinitatem ita interpretatum esse ut Varronem (de l. l. VI 75) satis probabile sit. ³) Marxius (l. s. p. 66) bene adnotavit Metellum consulem hanc novam significationem cum ironia in maledicam partem versam usurpasse. ⁴) quarum discipulum Ennium se ipsum nominasse quod Riednerus (l. s. p. 9) ex Pompili fragmento (Non. p. 88,5 M.):

Pacvi discipulus dicor. porro is fuit Enni,
Ennius Musarum. Pompilius clueor.

conclusit, neque incredibile neque certum quicquam protulit; nonne enim Pompilius ex Musarum in hoc prooemio invocatione ita illum se significasse colligere potuit, cum nullo revera loco discipuli nomen legeretur? ⁵) quomodo hoc 'dicti studiosus' interpretandum sit, bene explanat Leo L. G. pp. 180—181.

orationem eius, quippe qui Camenis agrestibus addictus esset, omni elatione ac sublimitate carere dixit, cum se primum viam, quae esset ad Parnassum [1]), reserare ausum esse versu 217 gloriatus est. — Qua autem re Ennius commotus est, ut hic tam acriter praedicaret, quanto Naevium vinceret? Vahlenus (p. XX) quidem eum his versibus hoc maxime egisse putat, ut immensum progressum, quem poesis Romana a Saturnii ruditate ad politiorem 'versuum longorum' (inc. 20 V.) formam a se primo temptatam fecisset, graviter nec sine sui praedicatione exponeret. Quod quamquam rectissime dixit, tamen Lucianus Mueller [2] satis probabiliter, ut opinor, poetam ita iis respondisse proposuit, qui sex Annalium libris tum iam foras datis obtrectaverant. Naevi enim quosdam fautores opprobrio ei vertisse, quod, ut ipse in primi libri prooemio professus esset, deorum tantum favore, qui Homeri animam in corpus eius traduxissent, factum esset, ut adeo plausum sibi pareret. Quorum impetui Ennium occurrisse versibus (ann. lib. VII 218 — 219 V.):

218 'Nec quisquam sophiam sapientia quae perhibetur
219 In somnis vidit prius quam sam discere coepit',

quibus non natura sola, sed etiam studio atque industria additis poetam effici diceret; neglegentiam autem ipsam, ut modo vidimus, Naevio exprobraverat. Quae recte si exposita sunt, non defuerunt, qui Ennium, quamvis multorum comprobationem sibi conciliavisset, vellicarent. Quod vero Muellerus (l. s. p. 165) eum, cum contendere se dedeceret cum vate illo, versu (ann. lib. inc. 564 V.):

' . . neque me decet hanc carinantibus edere chartis'

ne primum bellum Punicum copiose persequeretur recusavisse suspicatur, redarguere eum non poteris, sed ego quidem cum Vahleno (p. CLXXXI) facere malui, qui hunc versum ad 'incerta' reiecit. Nec quisquam denique probet, quod Baehrensius (Neue Jahrb. 137 p. 411)

[1]) sic enim Lucianus Mueller (l. s. p. 130) sententiam huius versus recte supplevisse mihi quidem videtur, quamquam Riedneri (l. s. p. 67) quoque coniectura mihi placet, qua Vergili loco quodam comparato 'fontes sanctos' adiciendum esse censuit. Quem versum ad hexametros pangendi artem, quam primus Latinis Ennius aperuisset, pertinere quod Hugius coniecit, non plane hanc coniecturam reprobes; repellenda autem est Valmaggii (Q. Ennio, Turin 1900, p. 63) opinio, qui poetam saturam suam hoc versu designasse arbitretur, 'qua artem litterarum criticam exercuisset et de poetica egisset', nescio enim, quo confisus argumento vir doctissimus tam certo collegerit eiusmodi quoque argumenta in saturis fuisse Ennianis. [2]) l. s. p. 130; cui assentitur Skutschius (RE V, p. 2607), cum Vahlenus ipse non prorsus ab eo dissenserit (Abh. d. Berl. Akad. d. Wiss. 1886, p. 13) Riednero quoque (l. s. p. 37) assenso.

a Muellero in contrariam partem regressus de hoc versu protulit: Ennium, etiamsi cum superbia, quae tamen excusanda esset, se Naevio superiorem esse dixisset, non celasse, quanti virtutem eius poeticam aestimaret; itaque versum sic esse 'restituendum':

' . . . neque ⟨Naevi
opram⟩ me decet hanc carinantibus laedere chartis.'

Nemo dubitet, quin doctissimus ille, ut alias saepissime, sic hic quoque fortior quam felicior in coniecturis pangendis fuerit; quod enim per se lacunam non sine aliquo periculo nomine proprio expleas, Ennium illis reprehensionibus satis acerbis hanc laudem non mediocrem ipsum obiecisse a vero alienissimum est. 'Quam recte autem Ennium a Naevio sive sumpsisse multa sive surripuisse Cicero dicat, difficile hodie dignoscitur; in bello quidem Punico primo vix esse opinor, quod eum ab illo mutuatum esse fidentius affirmes' (Vahlen p. XX); et quod Lucianus Mueller ex illo Ciceronis loco conclusit Rudinum poetam etiam tragoediis Campani usum esse, quibus hic multo plus praestitisset quam carmine epico, argumento coniecturam non fulsit. Procul certe dubio est, quin Ciceronis 'reliquisset illud Punicum bellum' ὑπερβολικῶς dictum sit, cum iam nunc fragmenta exstent (L. Mueller l. c. pp. 165—166; Skutsch RE V p. 2607), quae satis certo referantur ad hoc ipsum bellum descriptum. — Quaecunque de versibus illis exposuimus si comprehenduntur, tria 'belli Punici' vitia Ennius castigavit: primum quod Saturnio horrido compositum esset, alterum quod stilo polito careret, tertium quod humilitate quadam et exilitate deformaretur. Atque in fine annotem quidem, quamquam argumentum proferre nequeo, eum fortasse in elogio suo ad Naevium spectasse, qui si fas esset, ut a Camenis defleretur futurum esse gloriatus erat; ipse autem se a quoquam defleri noluit.

Itaque Ennius suae ipse poeseos iudex benevolentissimus exstitit, cuius tollendae occasiones, ubicunque dabantur, arriperet; de aliis autem litteratis perraro in scriptis suis iudicasse videtur, cum nos quidem nullos nisi illos de Cethego et praecipue de Naevio locos acceperimus servatos, quorum altero laudatio satis magna, altero vituperatio mordacissima continetur.

Cum Rudinus poeta in comoedia valde claudicaret, Plauti quasi hereditatem adiit Statius Caecilius, cuius comoediarum a posteris satis laudatarum pauca iterum fragmenta exstant, neque ex ullo — quod statim praemoneamus — percipi potest eum aliorum studia litterarum percensuisse. Quamquam enim versu (250 R):

'. . . nimis audacem nimisque bardum barbarum'

adversarium a poeta petitum esse coniciat fortasse quispiam, nos haec verba illiusmodi altercationi cuidam attribuenda esse censuimus, quae saepissime apud Plautum leguntur; quod idem etiam certius contendas de versibus (59—60 R):

59 'Quid narras, barbare indomitis cum moribus
60 Inlitterate inlex? . . .',

ubi iam secunda persona adhibita impediamur, ne vocabulo 'inlitterate' perducti ad vanas de litterarum aestimatione ariolationes inclinemus; num quis denique versum (40 R):

'. . . nam hic in tenebris intus sese abscondidit'

ita interpretabitur, ut poetam eo gloriatum esse opinetur, quod adversarium quendam a studio retractum in otium transdidisset? Cum autem fragmentorum nullum quaestioni nostrae opituletur, alterius Hecyrae Terentianae prologi versibus 14—23 comperimus eum eandem fere fortunam subisse quam postea Terentium. Quid? quod non multum afuit, quin 'iniuria adversariorum ab studio atque ab labore atque arte musica removeretur'. Quinam fuerunt hi inimici? Ennius ut ab eorum parte staret, nullo modo fieri potuit, cum eum 'contubernalem' illius fuisse Hieronymus (2 p. 125 Schn.) testetur; recordati autem illum primo fere saeculi secundi decennio litteris incumbere coepisse, qua eadem aetate non modo Plautus iam summam gloriam adeptus erat, sed totus quidam flos poetarum quasi virebat, facile intellegimus, cur novo poetae difficultates superandae fuerint non mediocres. Neque vero certa illorum nomina eruere conabor, nisi quod Plautum quoque, principem eorum, inter eos fuisse sine nimia audacia supra coniecisse mihi videor. Quae autem singula in comoediis Caecili reprehenderent, Ambivius, ne taedio spectatores afficeret, non explanavit; itaque nos aliquid de ea re coniectare futtile est. Atque etiam difficilius est diiudicatu, utrum Caecilius intentionibus illis occurrerit necne; quem prologis ad se defendendum usum esse Leo (Pl. F. pp. 193—194) assentiente Skutschio (RE III p. 1191) putavit, ego autem, quamquam sententia eorum neque redargui neque argumentis corroborari potest, cum nullus prologus nobis suppetat, fecerim cum doctissimis illis. Quis enim tanta eum patientia fuisse sibi persuadeat, ut impetus defensare non curaret? Postquam vero Plautus 'mortem aptus est', imperio scaenae comicae, si ita dicere liceat, potitus esse videtur, quamquam ne tum quidem eos defuisse verisimile est, qui eum adorirentur; lepidissime enim Ribbeckius (Gesch. d. röm. Dicht. I, p. 127) dixit elogio Plauti, quod nos quoque sub ipsam fere eius mortem conditum esse supra suspicati sumus, cum omnes post eum comicos tum Caecilium,

qui ceteros omnes superaret, perstringi. Ipse igitur inimicorum malevolentiam certo non effugit; attamen generosissimum erga Terentium novum poetam se praestitisset, dummodo credere liceret Suetonio (vita Ter. 1 p. 4 W) haec narranti: '. . . Scripsit comoedias sex, ex quibus primam Andriam cum aedilibus daret, iussus ante Caecilio recitare ad cenantem cum venisset, dicitur initium quidem fabulae, quod erat contemptiore vestitu, subsellio iuxta lectulum residens legisse, post paucos vero versus invitatus ut accumberet cenasse una, dein cetera percucurrisse non sine magna Caecilii admiratione'; satis igitur multum honoris attribuisset poetae illuc usque plane obscuro. At haec memoria, quae iam singulis rebus tam accurate enarratis suspecta est, multum abhorret ab ea, qua Hieronymus (l. s.) Caecilium anno post mortem Enni i. e. anno 168 mortuum esse tradidit, cum Andriam anno 166 demum actam esse certo sciamus (vit. Ter. p. 7 W). Neque assentiendum est Ritschelio (opusc. 3, p. 233), qui post verba Hieronymi 'mortem Ennii' inseruit 'III' (cf. Vahlen ed. Enn. p. XVIII ann.***), neque Schanzio (p. 135), qui inter recitationem fabulae et actionem duos fortasse annos intercessisse cunctanter quidem suspicatus est, quapropter stamus a Leone (Pl. F. p. 100 ann. 3), Marxio (RE I p. 143), Skutschio (RE III pp. 1189—1190), aliis, qui totam illam memoriam omittendam esse censuerint.

Itaque de arte litterarum critica a Statio Caecilio exercitata nihil certi statui licet; cum enim constet adversarios atrociter eum aggressos esse, verisimile tantum est eum illis obstitisse fortasse in prologis.

§ 4. De vetustioribus annalium scriptoribus et M. Porcio Catone.

Quoniam adhuc de poetis modo egimus, pauca nunc dici aequum est de litteratis eiusdem priscae aetatis quibusdam, qui prosa potius oratione usi sunt, nimirum de vetustioribus qui vocantur annalium scriptoribus et de M. Porcio Catone. Apud illos quidem non est, cur diutius moremur, cum eos inter se aut alios litteratos vel laudasse vel carpsisse nulla memoria acceperimus. Sane si revera A. Postumius Albinus Annales suos Ennio dicavisset, quod fecisse anonymo Cortesiano fertur, aperte quantopere illum admiraretur patefecisset; sed quamquam eum, quem ridiculum quendam in modum Graecarum litterarum scientiam appetivisse et ostentavisse scimus, historiam suam seni Ennio utpote auctori Graecae eruditionis locupletissimo obtulisse [1]) per se non in-

[1]) ita iudicavit Buechelerus (Rh. M. 39, p. 623), qui deceptus est una cum multis aliis (cf. Schanz p. 239).

credibile est, totam memoriam Traubius (Abh. d. hist. Kl. d. Münch. Akad. XXIV 1. Abt., pp. 47—54) destruxit, cum eam ab anonymo quodam fictam et subditam esse sagacissime edocuit. Neque vero neglegendum est eundem Albinum in initio historiae testibus Polybio (XXXIX 1) et Gellio (XI 8, 3): 'in eius (sc. Albini) historiae principio scriptum est ad hanc sententiam: neminem suscensere sibi convenire, si quid in his libris parum composite aut minus eleganter tum scriptum foret; 'nam sum, inquit, homo Romanus natus in Latio, Graeca oratio a nobis alienissima est', ideoque veniam gratiamque malae existimationis, si quid esset erratum, postulavit' concessisse se non ubique pura atque eleganti Graecorum oratione usum esse; quod iudicium utrum sincero ex animo ediderit an simulata modestia, qua benevolentiam legentium captaret, quis est qui discernat? Ceterum autem tam pauca de scriptoribus aliis audivimus, ut in ampliores descendere coniecturas audaciae esset; tamen hoc annotare mihi liceat eos mea quidem sententia, simodo inter se impugnaverunt, non tam de forma quam de fide annalium ab aemulis compositorum invicem se carpsisse. Quo quicquam certius affirmare equidem nequeo.

Cum Postumius ille in iis esset, qui Graecam tantum eruditionem perfectam esse censerent, M. Porcius Cato nihil aliud agebat et meditabatur, nisi ut ea, ex qua ne maxima detrimenta caperet res publica vereretur, Romanos imbui prohiberet[1]. Unde efficiebatur, ut etiam litteris eorum, quotiens de iis iudicabat, malediceret; quod luculentissime apparet ex his verbis (Plin. n. h. XXIX 1, 14): '... quandocumque ista gens suas litteras dabit, omnia corrumpet'. Summo autem odio eos persequebatur, quorum praecipue scriptis atque doctrina ne omnia corrumperentur timeret, philosophos (Besançon l. s. p. 109). Atque consentaneum est hoc Graecorum odium ne Romanos quidem litteratos effugisse, qui illorum artem ipsorum imitandam esse arbitrabantur. Quamquam — quod praemittamus iterum — paucissima eiusmodi iudicia nobis servantur; nullum vero locum, quantum vidi, habemus acceptum, quo de suo litterarum studio censuerit. Atqui non incredibile est eum, qui 'αὐτοῦ (δὲ) καλλίστας εἰκόνας ἐν ταῖς ψυχαῖς περιφέρειν τοὺς πολίτας' gloriatus esse (Plut. Cat. 19, 5) et 'haud sane detrectator laudum suarum' fuisse dicitur (Liv. XXXIV 15), ne illud quidem parvi duxisse. Sicuti autem ipse solutam tantum orationem in operibus usurpasse videtur[2], artem poeticam teste Gellio (XI 2, 5): '... Vestiri inquit in foro

[1]) quod iam adeo a doctis pertractatum est, ut eos enumerare (cf. Schanz p. 243) cum me pigeat, satis habeam recentissimum de hac re librum nominare a Besançonio scriptum: Les adversaires de l'hellénisme à Rome pendant la période républicaine, diss. Lausanne 1910; cf. pp. 90 sqq. [2]) eadem enim

honeste mos erat, domi, quod satis erat. . . . Poeticae artis honos non erat. Si quis in ea re studebat aut sese ad convivia adplicabat, crassator vocabatur' ita contemnebat ac despiciebat, ut mores priscorum Romanorum collaudaret, qui poetas nihilo pluris aestimassent crassatoribus; quo sale acerbissimo poetas aequales vehementer laesos atque Ennium, simodo iam Romae erat, cum 'carmen de moribus' ederetur, maxime omnium ictum esse apertum est, quippe qui quantopere sua arte se iactarit satis constet. Ac ne iis quidem, qui iisdem litterarum studiis operam navabant, pepercit; consulto enim a prioribus annalium scriptoribus recessit, cum primus[1]) res patrum patrio sermone narrare mallet quam Graeco, quo illi soliti erant. Quod utrum expressis verbis indicaverit legentibus necne, certo discerni quamvis non possit, admodum verisimile est eum hanc occasionem non praetermisisse, qua Graeculos vellicaret, praesertim cum sciamus eum facete illusisse A. Postumio Albino, quod in prooemio illo modo a legentibus veniam petiverat; dicebat enim Gellio iterum teste (XI 8, 4; cf. Polyb. XXXIX 1; Plut. Cato c. 12): 'Ne tu, (inquit), Aule, nimium nugator es, cum maluisti culpam deprecari, quam culpa vacare. Nam petere veniam solemus, aut cum imprudentes erravimus aut cum compulsi peccavimus. †Tibi, (inquit) oro te, quis perpulit, ut id committeres, quod, priusquam faceres, peteres, ut ignosceretur?' Porro Origines nequaquam arte critica vacasse manifeste perspicitur ex loco illo clarissimo, quem Gellius (II 28, 6 se in quarto earum libro hunc legisse tradidit: 'Non lubet scribere, quod in tabula apud pontificem maximum est, quotiens annona cara quotiens lunae aut solis lumine caligo aut quid obstiterit.' Quae verba vel ideo magni momenti sunt, quod Catonem, quamvis 'morem maiorum' laudare et defensare non desineret, institutum vetustate quasi sanctum carpere non veritum esse inde discimus; atque eum sua ratione verbis in illa tabula ipsa usitatis usum esse cognoscimus ex eo, quod Ennius similiter scripsit (ann. lib. IV 163 V.):

'... nonis Iunis soli luna obstitit et nox',

qui versus quin die accurate designata pontificum tabulas resipiat nemo dubitet. Etsi vero Porcius improbavit, quod iis prodigia atque portenta

etiam 'carmen de moribus' conditum esse Schanzius (p. 247) plane probasse videtur, cum aliorum conaminibus reiectis, qui modo trochaeos, modo sotadeos, modo saturnios, modo anapaestos recognosci opinati erant, rectissime negavit Catonem eodem scripto, quo poetas mordacissime roderet, se ipsum poetam praestitisse.

[1]) iam Q. Fabio Pictori Latinos annales tribuendos esse vix quisquam sibi persuadeat (cf. Schanz pp. 231 et 233).

aridum quendam in modum enumerarentur, neque tamen tam eas vituperasse videtur, quam eos, qui more earum res per singulos annos nullo vinculo inter se conexas narrabant; ipse enim eo differebat a prioribus annalium scriptoribus, quod 'capitulatim' (Corn. Nep. Cato 3, 3—4) res describebat, ut eas, quae natura ipsa inter se cohaererent, singulis capitibus comprehenderet neque graves ac leves promiscue enarraret, sed eas tantum eligeret copiosius tractandas, quae dignae ei videbantur; (sic enim Schanzium [p. 258] et Hermannum Peter [Wahrheit und Kunst etc. etc. Leipzig 1911 p. 285] adverbium 'capitulatim' recte interpretatos esse mihi persuasi); ceterum Catonem illo loco priores non strinxisse minime constat, cum Gellius verba illa eo tantum consilio excerpserit, ut 'quam parvi fecisset Porcius rationes veras solis et lunae deficientium vel scire vel dicere' doceret, neque vero ut demonstraret, quantum a prioribus discreparet. Utique satis certo ex illo loco colligere liceat Catonem non tam tabulas pontificum quam eos cavillatum esse, qui illarum rationem imitabantur in annalibus scribendis; nonne vero per se probabile est eum, qui a more illuc usque usitato recederet, alicubi exposuisse, cur id faceret? Ac si quis audacior sit, coniciat fortasse illis verbis eum non modo annalium scriptores, sed etiam Ennium vellicasse: nam hunc quoque defectionem solis commemorasse modo vidimus, neque omnino eum Catonis favore usum esse verisimile est (cf. Besançon l. s. pp. 102—104); quantum autem attinet ad temporum ordinem, nihil huic coniecturae obsistit, cum Origines aliquot annis post Annales conscriptas esse constet. — Attamen minime, quamvis pauca habeamus vestigia, concludere liceat raro artem criticam a Catone exercitatam esse, cum ex plurimis eius operibus reliquiae satis exiguae restent atque ex illo de agricultura libro ipso, qui totus servatur, nihil hauriri possit, nostrae quaestioni quod auxilietur. Nonne potius credibile est eum, qui ad aggrediendum et iudicandum natura quasi compelleretur, saepius quam nos iam cognoscimus de aemulorum studiis iudicasse? Quae sententia eo firmari videtur, quod invicem minime deerant, qui scripta eius roderent; paratos enim fuisse, qui obtrectatione alienae scientiae famam sibi aucuparentur, ipse dixit in eo libro, quem de re militari composuit, his fere verbis (Plin. n. h. praef. 30): 'Quid enim? scio ego, quae scripta sunt si palam proferantur, multos fore, qui vitiligent, sed ii potissimum, qui verae laudis expertes sunt; eorum ego orationes sivi praeterfluere.' Sed licet Cato saepius de aliis litteratis censuerit, eum aestheticas, quas nominamus, aestimationis rationes tutatum esse neque accepimus neque verisimile est; quod idem recte, opinor, de Naevio, Plauto, Ennio affirmemus.

§ 5. De Terentio eiusque adversariis.

Cum adhuc artis criticae vestigia undique quasi converrere coacti simus, condicione multo prosperiore utimur ad Terentium progressi. Quod enim iam a Plauto pleraque de litteris iudicia prologis edita esse supra vidimus, Terentianis nihil fere aliud continetur nisi illa ipsa; quapropter de iis iterum pauca praemoneri par est, nam de iis quoque docti controversias moverunt, quamquam non tantopere inter se dissenserunt quantopere de Plautinis. Quorum fortunam Terentiani universe quidem vel propterea evitaverunt, quod se poetae aequales esse ipsi quasi docent [1]. Quod enim Schindlerus (observ. crit. et hist. in Ter. diss. Halle 1881 pp. 39—53) Hecyrae prologos non a Terentio, sed ab Ambivio Turpione conscriptos esse probavisse sibi visus est, iam Fabia (pp. 11—13) opinionem eius plane reppulit; alias vero quasdam dissensiones, quae sunt inter doctos de eodem prologo (Leo: anal. Plaut. II, Goettingen 1898, pp. 19—20; 24—28; Havet: Revue de philol. X pp. 12—14), ne attingere quidem meum est, cum adversarii poetae eo commemorantur tantum singulis non adiectis, ut mediocris momenti sit nostrae quaestioni. Quibus etiam maiores difficultates interpretibus obtulit Heautontimorumeni prologus, cuius vulgatus versuum ordo maxime turbatus esse nonnullis [2] videretur, sed alii [3] rectissime, credo, traditum defenderunt; reliquos vero prologos mutare in universum quidem docti noluerunt. Ergo iis, cum non modo vere Terentiani sint, sed etiam bene traditi esse videantur, gravissimis artis litterarum criticae testimoniis uti licebit. Multo sane difficilius est inquirere, quo ordine compositi sint atque vel inde, quod docti valde de ea re inter se discrepant, cognoscas certi quicquam vix erui posse; tutius igitur erit quaestiones non in temporum fundamentis admodum infirmis exstruere, sed a rebus ipsis disputationis ordinem ducere; quocirca disseram primum quomodo adversarii Terentium petierint, deinde quomodo se defenderit, postremo quomodo ipse eos adortus sit. Atque vix annotetur oporteat iam multos studia in easdem has quaestiones contulisse; quorum imprimis nominandi sunt Fabia et Meyerus (quaest. Ter. diss. Leipzig 1902). Sed nunc ad rem ipsam procedamus. — Primum enucleandum est, quibuscum tam acres in contentiones implicatus sit Terentius; reminiscamur igitur, quibus locis commemorentur!

[1]) quod bene exposuit Fabia (pp. 1—14). [2]) Dziatzko: l. s. pp. 5—17; Havet: l. s. pp. 12—14; Herrmanowski: quaest. Ter. sel. diss. Halle 1892, p. 21. [3]) Fabia: pp. 15—23; Leo: an. Plaut. II, pp. 20—24; Skutsch: Philol. 59, p. 3.

1. complures tanguntur:

Adelph. 1 Postquam poeta sensit scripturam suam
2 Ab iniquis observari et advorsarios
Hec. 54 Ne eum circumventum inique iniqui inrideant
Heaut. 27 Ne plus iniquom possit quam aequom oratio
16 Nam quod rumores distulerunt malivoli
Adelph. 15 Nam quod isti dicunt malivoli
Andr. 15 Id isti vituperant factum ...
Adelph. 17 Quod illi maledictum vehemens esse existumant
Andr. 8 Nunc quam rem vitio dent quaeso animum attendite.

2. unus tangitur:

Andr. 6 Non qui argumentum narret, sed qui malivoli
7 Veteris poetae maledictis respondeat
Heaut. 22 Tum quod malivolus vetus poeta dictitat
Phorm. 1 Postquam poeta vetus poetam non potest
2 Retrahere a studio ...
13 Vetus si poeta non lacessisset prior
Eun. 4 Tum siquis est qui dictum in se vehementius
5 Existumabit esse.
7 Idem Menandri Phasma nunc nuper dedit
8 Atque in Thesauro scripsit ...
Heaut. 30 ... ne ille pro se dictum existumet
31 Qui nuper fecit ...
Phorm. 18 Ille ad famem hunc a studio studuit reicere.

Qua ex enumeratione cognoscimus neque ullo prologo adversariorum mentionem non fieri et modo complures commemorari modo unum ex iis eximi; ergo hic atrocissimus Terenti inimicus erat. Porro Afer ipse dicit eum et poetam fuisse et in eodem fabulae genere versatum esse; quod ut uno verbo comprehendamus, erat ille palliatarum poeta quidam Terentio aemulus; iterum igitur videmus ex aemulatione alterna artem criticam evadere. Ceteros autem adversarios item palliatarum poetas intellegendos esse non necesse est; suo enim iure Roehrichtius (quaest. scaen. diss. Strassburg 1885, p. 29) cum Dziatzkoni oblocutus necessario illud ex prologis ipsis effici negavisset, exposuit eos, tametsi fieri potuisset, ut omnes aemuli ipsi essent, fautores, socios, amicos fortasse veteris illius poetae fuisse; quod igitur Sihlerus (l. s. pp. 9—10) eos sodales 'collegii poetarum' fuisse contendit, certi quidem nihil protulit. Illum autem veterem poetam atque inimicorum ducem fuisse Luscium Lanuvinum[1]) Donatus tradidit (e. g. ad Eun. prol. v. 4, p. 270 W).

Hic Luscius una cum sociis Terentio vitio vertebat, quod

I. a) fabulas contaminaret
b) oratione tenui et scriptura levi uteretur
II. a) furta committeret
b) auxilio aliorum adhibito fabulas componeret.

Quomodo criminationes haud inepte a me dispositas esse nescio an mihi concedas, cum alterae (I) in artem, alterae (II) in honestatem Terenti versae sint.

De singulis autem disputaturi primum de contaminandi opprobrio agemus.

Ia. Bis occurrit verbum contaminandi in prologis

Andr. prol. 15 'Id isti vituperant factum atque in eo disputant
16 Contaminari non decere fabulas.'
Heaut. prol. 16 'Nam quod rumores distulerunt malivoli
17 Multas contaminasse Graecas, dum facit
18 Paucas Latinas': . . .;

quod quid significet paucis exponendum est. De origine quidem eius satis constare videtur, ex quo Grauertus (anal. hist. et phil. I, Münster 1833, pp. 116 sqq.) radicem -tag ei suppositam esse probavit, neque dubium est quid sit 'contaminare', cum Terentius ipse edoceat (Andr. prol. vv. 9—14) adversarios, quod ex duabus Graecis fabulis (Andria Menandri et Perinthia) unam Latinam fecisset (Andriam), contaminationis se arguisse. Minus autem apparet, illi quo sensu hoc verbum adhibuerint; in duas enim praecipue de ea re sententias discesserunt docti, quorum alteri idem illud significare quod 'diversa inter se coniungere atque consociare' (cf. [Dziatzko-]Kauer: Adelphoe 1903², pp. 7 — 8, ann. 1), alteri idem quod 'polluere et vitiare' (cf. Meyer l. s. p. 15) interpretarentur; sed ego quidem censeam utrorumque sententias conectendas esse. Primum enim Meyero assentior, qui (l. s. p. 16) statuerit 1. verbum 'contaminare' a Terenti demum adversariis primum ad fabularum componendarum rationem relatum esse 2. hoc verbum, quod ne adhiberet Terentius ipse caveret, non modo nihil laudis prae se tulisse, sed tamquam convicii loco fuisse. Quamvis enim recte Schoellius nuperrime (Sitz.-Ber. d. Heidelb. Ak. d. Wiss. phil. hist. Kl. 1912, 7. Abh., p. 3, ann. 1) Terentium ipsum fateri 'id factum esse',

[1]) de eo nihil fere scimus nisi quae ex Terenti prologis intelleguntur et a Donato adnotantur; quibus addendum est Volcacium Sedigitum nonum canonis locum ei adsignasse.

i. e. fabulas a se contaminatas esse contenderet, mea quidem sententia illud, quod Meyerus a poeta aliis locis, quibus non adversariorum, sed sua verba praebet, contaminandi verbum non usurpatum esse dixit, non debilitavit. Quod autem his locis modo a nobis descriptis eo ipso utitur, non mirum est, quippe qui quos rumores 'malivoli' distulerint narret; nonne igitur eorum ipsorum verba cum ironia quadam repetita (Kauer l. s.) adhibenda erant? Cum vero Schoellius inde, quod Terentius 'deinde se idem facturum esse' profitetur, dixerit: 'Terenz selbst aber nimmt das contaminare 'ganz und gern' (?) für sich in Anspruch . . .: Terenz kann doch nicht sagen wollen, er werde weiter und ohne Scheu Stücke „verpatzen", haec Afri verba per ironiam iterum, quantum equidem sentio, ita intellegenda sunt, ut id, quod 'malevoli isti' contaminando designaverint, se et 'fecisse' et iterum esse 'facturum' concedat, cum ii, qui ante se idem 'fecerint', satis populo placuerint. Quod autem Meyerus collegit hanc vocem nihil aliud significare posse nisi 'polluere et foedare', prorsum cum eo facere nequeo; perperam enim nativam vocabuli vim neglexisse mihi videtur, cum versibus illis, quibus quid sit contaminare Terentius definit, eam retinere cogamur. Itaque non cum Kauero (l. s.) 'anpatzen', sed Schanzium potius (p. 171 'zusammenschweissen') vel Haulerum (Dziatzko-Hauler: Phormio 1898^3, p. 19) secutus 'zusammenpatzen' in nostram linguam hoc verbum convertam; idem igitur sibi velit atque coniungere — per se enim huic verbo nihil maledici inesse rectissime monuit Schoellius — ab adversariis in malam partem usurpatum vel, si quid simile adhiberi cupias, 'consarcire'. Quare reprehensio satis acerba hoc vocabulo, quod non longe distet a convicio, contineatur; ac Fabia quidem Afrum ab ea defendere conatus est, cum quindecim fere paginis (pp. 196—210) quanta arte artificium a poeta usurpatum esset exposuit atque conclusit: 'Accroissement d'animation et de gaieté, voilà en un mot le profit que les oeuvres de Térence ont retiré de la contamination'. Quod quatenus recte explanaverit meum non est inquirere, cum de contaminatione ipsa disserere nolim; minime vero ei assentiendum est dicenti (p. 218) Luscium litterarum peritiorem fuisse, quam ut iniustissime se Terentium ita accusare non ipse sentiret. Quamvis enim eum aemulatione atque invidia fortasse impulsum esse, ut adversarium persequeretur, non negem, mala cum fide eum inimico obtrectasse non sine audacia affirmes; contra iam Spengelius (Andria 1888^2, pp. IX—X) rectissime dixit hanc controversiam non sola ex invidia aemulorum ortam esse, sed Luscium (quasi propugnatorem exstitisse eorum, qui Graecas comoedias opera esse putarent perfectiora, quam ut a Latinis poetis quicquam resecari insui adsarciri sinerent;

Terentius autem ad Naevi Plauti Enni morem regressus sibi vindicavit scaenas compluribus ex fabulis depromptas inter se conectendi licentiam, eo nimirum consilio, ut exempla corrigeret atque emendaret. Quarum rationum utra praeferenda sit — sed annotare quidem liceat Afrum, quamvis Graecos superare studeret, dimidiatum dumtaxat Menandrum nobis reddidisse — diiudicari cum nostrae quaestionis nihil referat, hoc tamen apparet Luscium aliis quoque causis praeter humillimas illas, quas Fabia ei subdidit, permotum esse, ut cum Terentio manus consereret; quin contra mihi quidem nihil aliud fecisse videtur nisi quod homines semper facient, cum novus quidam emerserit rationes secutus, quae ab ipsorum de arte sententiis discrepabunt. Quodsi igitur invidiose fortasse atroci contaminandi verbo usus est ad inimicum vellicandum, iudicium ipsum invidia tantum incitatus certe non edidit.

1b. Quod etiam fidentius asseveres de secunda criminatione

Phorm. prol. 4 'Qui ita dictitat, quas antehac fecit fabulas,
5 Tenui esse oratione et scriptura levi',

qua 'oratio tenuis' et 'scriptura levis' perstringebantur. Qua de optime egit Fabia (pp. 252—261), cum 'orationem' ad res fabularum et sententias, 'scripturam' (cf. etiam Boissier: Mélanges Graux, Paris 1884, p. 82 ann. 4; Leo L. G. p. 254) ad rationem scribendi pertinere definivit; postquam autem Terenti stilum cum Plautino comparatum bene descripsit, ipse, quippe qui ceteroquin defensorem Afri ac tutorem sese praestiterit, hoc crimen aliquo quidem argumento fulciri colligit (p. 253), alio vero loco (p. 287) 'veritatem' in eo esse ultro concedit; atque illos Ciceronis et Caesaris versus, quibus idem de stilo Terentiano iudicium fit verbis tantum mutatis, huc afferre supersedeo, cum omnes fere item iudicaverint iudicent iudicaturi sint. Omnium autem tamquam consensu quoniam illa Lusci aequalis criminatio probatur, hic quidem malevolentia tantum compulsum eum illa orationis et scripturae vitia exprobrasse Publio nemo contendere audeat, sed iterum potius multo aliter de arte sentiebat atque novus poeta. Namque bene si rem consideraverimus, hanc secundam vituperationem eodem fere spectare quo iam primam intellegemus; Terentium enim accuratius si exempla Graeca secutus esset, 'Menandro non dimidiato' eiusmodi impetus suscepturum non fuisse certum est; rursus igitur reprehenditur, quod nimis ab illis regressus non modo scaenarum conexum, sed etiam scribendi rationem mutaverit, quod neutrum Latinis poetis licere putabant Luscius eiusque asseclae.

Qui cum iis, quae adhuc exposuimus, artem Terenti ipsam carpserint, his, de quibus nunc dissertabimus, honestati poetae et auctoritati ob-

trectare conati sunt; cuiusmodi crimina quamvis per se ex invidia profecta esse videantur, iterum tamen res ipsas examinemus, priusquam in temerarias opiniones abducamur.

IIa. Duobus locis Terentius furta commisisse ab inimicis arguitur, quorum altero

Eun. prol. 23 'Exclamat furem, non poetam fabulam
24 Dedisse et nil dedisse verborum tamen:
25 Colacem esse Naevi et Plauti, veterem fabulam,
26 Parasiti personam inde ablatam et militis'

Luscius crimini ei dat, quod ex Naevi et Plauti Colacibus partes quasdam surripuerit, altero

Adelph. prol. v. 12 '. . . pernoscite
13 Furtumne factum existumetis an locum
14 Reprensum, qui praeteritus neglegentiast',

quod scaenas ex Diphili Commorientibus sumpserit, etsi haec eadem comoedia iam a Plauto conversa esset, eum autem, qui talia commiserit, furis nomine notat. Quonam iure ad hoc atrocissimum omnium opprobrium descendit? Primum Afrum hoc quoque artificio praecepta Lusci violasse monendum est, cum utroque iterum loco contaminasset; quid? quod si hic recte de scaena illa ex Naevi et Plauti Colacibus surrepta coniecisset, Terentius exemplum Graecum non modo cum licentia convertisset, sed omnino neglexisset Latinis tantum poetis inspectis. Porro autem iam nunc breviter stringendum est, quomodo Publius se purget vel se purgare conetur; etiamsi enim fidem ei adiungamus 'fabulas Latinas ex Colace Menandri prius factas esse' se ignorasse asseveranti (Eun. prol. vv. 30—34), certe hic quoque contaminavit, ut vel inde Luscius promeret, cur eum castigaret. Nonne vero consentaneum est illum, cum fabulam primum audiret atque miratus scaenas reperiret, quas iam novisset ex Naevi et Plauti fabulis, non dubitasse, quin poeta non Graecum exemplum, sed eas ipsas adhibuisset?; neque enim Terentium omnino non nimiam Graecorum exemplarium rationem habere nesciebat, neque suspicari non poterat, ut ipse Naevi et Plauti Colaces noverat, eum quoque has fabulas cognitas habere eorum, quos contaminationis auctores antea[1]) appellaverat. Suo igitur iure Luscius Terentium tam mordaciter rodere sibi licere opinatus est; minus sane manifestum est, num quid malevolentiae illo Adelphorum loco ei attribuendum sit. Hanc enim scaenam cum Plautus totam antea omisisset,

[1]) quamquam enim de prologorum ordine docti dissentiunt, hoc consentiunt Andriae prologum antecessisse prologo Eunuchi (cf. Meyer l. s. pp. 30 et 32).

Terentio, ut se eum non expilasse probaret, facillime contigit, neque scio an Luscius se illud ignorare simularit. Quis autem eum redarguat, qui Lanuvinum poetam, cum Plautum ex Synapothnescusin Diphili Commorientes suam fecisse meminisset, comicum Sarsinatem illam quoque partem convertisse per errorem ratiocinatum esse coniectet, ideoque eum non malevolentiae, sed levitatis tantum accuset? Quarum opiniōnum utra rectior sit, cum nemo iterum discernere possit, nimis audacter, opinor, Fabia (p. 231) ex utraque furti criminatione elucere autumavit, quanta malignitate Luscius persecutus esset inimicum. Immo vero ego assevero alteram meritissimo ab eo, quantum res perspicere poterat, allatam esse, altera autem num malignum se praebuerit, nos quidem nescire.

IIb. Quodsi Luscius hoc crimine Terenti virtutem admodum in dubium vocavit, non multo minus ei obtrectavit, cum in fabulis scribendis ab amicis eum adiuvari dixit:

Heaut. prol. 22 'Tum quod malivolus vetus poeta dictitat,
23 Repente ad studium hunc se adplicasse musicum,
24 Amicum ingenio fretum, haud natura sua.'

Adelph. prol. 15 'Nam quod isti dicunt malivoli, homines nobilis
Eum adiutare adsidueque una scribere.'

Quae memoria quomodo tota antiquitate per manus quasi tradita simulque mutata et a recentioribus explanata sit, ego ne molestus sim referre (cf. Fabia pp. 234—237) non curo, sed hac aetate ab omnibus fere fidem ei detrahi satis habeo commemorasse; at ne hoc quidem ementitum esse Luscium est cur certo credamus! Cum enim Terentius iam adulescentulus primam fabulam doceret et plausum ferret, alii quoque haud scio an dubitaverint, deberetne omnia suae indoli atque ingenio, eum ab litteratis quibusdam, quorum consuetudine uteretur, adiutum esse suspicati. Cum autem voluntas, si ita dici liceat, sententiarum humanarum mater sit, Luscius eiusmodi suspiciones palam pronuntiare non veritus est. Quae utut se habent, probari nullo modo potest — quod edocuisse Fabia (p. 245) sibi videtur eum ipsum ne hilum quidem veri iis inesse non ignoravisse; quamquam eum, si usquam maligne se gessit, hic profecto invidia atque malevolentia ductum esse non nego, cum diligentissime examinare eius esset, quibus rebus illa suspicio fulciretur, antequam eam prolataret. — Quo igitur iure Terentius malignitatis atque iniquitatis eum arguerit, parum apparet, sed tota de Afro aestimatio inde emanavisse videtur, quod hic consulto a normis ac regulis, quas sectandas esse Lanuvinus poeta putabat, recessit; simul autem Luscius, ut erat homo, has aemuli velli-

candi occasiones amplissimas captabat, neque diffidimus Terentio affirmanti illum priorem controversiam excitavisse[1]). At ne perperam sententia mea percipiatur, autumo atque assevero me minime vindicem Lusci atque propugnatorem prodire voluisse, sed satis probasse mihi videor totam eius de Publio crisin non sola ex malevolentia evasisse, ut vulgo accipi solet, quia Terenti verbis magis, quam par erat, cum docti credebant tum Fabia, qui Lanuvinum poetam iniquitatis atque invidiae quasi columen descripsit; quod significanter intellegas his ex locis, quos afferri non otiosum esse putabam: '. . . il n'écouta que les mauvais conseils d'une double jalousie, littéraire et mercantile(!)' (p. 103; '. . . mais la malveillance avait étouffé en lui tout sentiment d'impartialité' (p. 231); '. . . mais Luscius se moquait de la justice et de la logique, il ne cherchait qu'à satisfaire sa haine' (p. 246). — Relinquitur, ut breviter stringamus, quo deinceps ordine singulae criminationes prolatae sint; quo tum demum — ut iam supra contendimus — firmo fundamento uti licebit, cum ipse certo constitutus erit. Cum autem ut eum enuclearent doctis nondum adhuc evenerit (Schanz pp. 142—143; Meyer p. 32; Herrmanowski l. s. p. 40), ego crimina enumerabo tantum, ne quid desideretur, ordinem prologorum a Meyero propositum secutus, neque vero quicquam aliud ita ut Fabia concludam, cum periculum subire nolim, ne ad falsas fortasse conclusiones perducar. Vituperat igitur Luscius Terentium:

1. Andr.	prol. vv.	15—16	quod	fabulas contaminaverit
2. Heaut.	„ „	16—18	„	„ „
3. Eun.	„ „	23—26	„	furtum commiserit
4. Phorm.	„ „	4—5	„	tenuem orationem et scripturam levem adhibuerit
5. Adelph.	„ „	13—14	„	furtum commiserit
„	„ „	15—16	„	auxilio amicorum usus sit.

Hoc tamen certo colligi licet controversias iam tum Terentio inferri coeptas esse, cum prima eius comoedia acta est, neque ullo fere spatio intermisso usque ad annum 160 esse ductas, quo Hecyra et Adelphoe ludis funebribus L. Aemili Pauli datae sunt; numquam igitur adversarii Publium, ex quo comoedias docendas susceperat, insectari desierunt.

Videamus nunc, quomodo tot ac tam gravibus impetibus occurrerit Terentius: Ia'. Ac primum, quod attinet ad contaminationem, ita se purgare temptat, ut

[1]) ceterum assentior Meyero, qui (p. 63) Fabiam (p. 101) impugnans haec exposuerit: 'vix credi potest adversarios, licet initio Terentio in sermonibus cotidianis obtrectaverint, cum hunc sibi coram populo respondere vidissent, eodem genere abstinuisse.'

Heaut. prol. 18 '. . . factum id esse hic non negat
19 Neque se pigere et deinde facturum autumat.
20 Habet bonorum exemplum, quo exemplo sibi
21 Licere id facere quod illi fecerunt putat'.

Andr. prol. 9 'Menander fecit Andriam et Perinthiam.
10 Qui utramvis recte norit, ambas noverit:
11 Non ita sunt dissimili argumento, sed tamen
12 Dissimili oratione sunt factae ac stilo.
13 Quae convenere, in Andriam ex Perinthia
14 Fatetur transtulisse atque usum pro suis'.
18 'Qui quom hunc accusant, Naevium Plautum Ennium
19 Accusant, quos hic noster auctores habet'

in 'bonorum' i. e. Naevi Plauti Enni[1]) auctoritate nitatur; quomodo quin se merito artificio illo usum esse non probaverit, cum nemo tum ne Fabia quidem (p. 196) dubitat; ceteris enim in rebus eum minime Plautum sibi proposuisse ad imitandum iam nunc satis manifestum est ex utriusque comoediis inter se comparatis. Itaque indicat tantum se ad 'morem maiorum'[2]) revertisse, cur autem redierit reticet. Sane licet cum Fabia (p. 194) suspicari eum, tametsi in scaena de arte disputare noluisset, coram amicis litterarum peritis, cur contaminaret, exposuisse, nobis, qui ad eiusmodi coniecturas non inclinamus, quicquam eum attulisse negandum est, quo suam rationem meliorem esse adversariis evinceret. Immo alio quodam loco (Adelph. prol. v. 11) gloriatur se 'verbum de verbo extulisse'; quomodo etiamsi non praedicat (Leo Pl. F. p. 100) omnia se fidum interpretem verbo tenus reddidisse, certe se satis diligenter exemplum Graecum secutum esse asseverat. Nonne ita aliquantum concessit adversariis, qui cum illud ipsum praeciperent, contaminationem spernendam esse censerent?

Ib'. Quodsi igitur haec defensio admodum claudicat, multo magis vacillat ea, quae ad tenuis orationis levisque scripturae opprobrium pertinet. Neque enim omnino se defendit, sed ipse potius adversarios adoritur hisce:

[1]) ceterum inde quod Caecilius non nominatur, Leo (Pl. F. p. 100) eum non contaminavisse concludit, sed ego quidem prorsum ei assentiri non possum. Nonne etiam fieri potuit, ut Terentius eum non in bonis illis numeraret, quorum auctoritate fulciretur, praesertim cum quanti illius artem fecerit nesciamus? Quamquam igitur Leonis sententiae plane repugnare nolo, tam confidenter colligendum esse non arbitror quam nuperrime iterum conclusit (L. G. p. 220). [2]) quem Romani non tanta verecundia, quod quidem pertinet ad poetas comicos, colebant quanta Fabia (p. 196) arbitratus est; alioquin enim vix fabulas Plauti brevi post mortem poetae obliti essent (cf. Ritschl, Parerg. pp. 198—199).

Phorm. prol. 6 'Quia nusquam insanum scripsit adulescentulum
7 Cervam videre fugere et sectari canes
8 Et eam plorare, orare, ut subveniat sibi.'

Quomodo quamquam spectatoribus, quippe quibus accuratius examinandi parum temporis suppeditaret, suam rationem haud scio an purgaverit, revera causis mediocriter gravibus non se defensavit. Licet enim merito Luscium aggressus sit — quod diligentius infra inquiremus —, in alteram partem quasi extremam abire sibi licere nequaquam ita probavit. Praeterea simodo ille peccavit, non ei soli culpa assignanda est, sed multo magis Graecis, utpote quibus eum industria se applicaverit, Terentius autem socio vitii compote caret, cum eo ipso, quod illos quasi 'dimidiavit', stilum reddiderit 'urbanum'. Sed sive ipse sensit[1] orationem suam vitiosam esse, sive se rectam viam ingredi persuasum habuit, ne hic quidem quicquam attulit, quo suam rationem corroboraret et ab inimicis tegeret.

Quoniam Afrum illa de arte ipsa crimina argumentis non diluisse exposuimus, quomodo honestatem ab adversariis comminutam defensaverit nunc explanemus. — II a'. Furti criminationi opponit haec:

Eun. prol. 27 'Si id est peccatum, peccatum imprudentiast
28 Poetae, non quo furtum facere studuerit.
29 Id ita esse vos iam iudicare poteritis.
30 Colax Menandrist: in east parasitus colax
31 Et miles gloriosus: eas se non negat
32 Personas transtulisse in Eunuchum suam
33 Ex Graeca: sed eas ab aliis factas prius
34 Latinas scisse sese, id vero pernegat';

quibus adversariis futurum esse concedit, cur ita se insimularent, modo parasiti et militis personas ex Naevi et Plauti Colacibus deprompsisset; neque omittendum est hoc prologo malitiam iis non attribui. Revera autem ad Graecum exemplum se descendisse, cum veteres illos iam idem in Latinum convertisse ignoraret. Quod cum ita affirmet, mea quidem sententia non est, cur fidem ei abrogemus, et Fabia (pp. 224—225) perperam fecit, quod ultro eum hoc ementitum esse dixit, cum fieri non potuisset, quin illas Latinas quoque bene nosset. Facile igitur ei evenit, ut furti opprobrium repelleret, cum imprudentia tantum se peccasse concedendum esset, minus autem ei evenit, ut ne hanc quidem imprudentiam vituperandam esse demonstraret:

Eun. prol. 35 'Quod si personis isdem huic uti non licet:
36 Qui magis licet currentem servom scribere,

[1]) quod Fabia (pp. 258—260) opinatus est coniecturis iterum nisus.

37 Bonas matronas facere, meretricis malas,
38 Parasitum edacem, gloriosum militem,
39 Puerum supponi, falli per servom senem,
40 Amare, odisse, suspicari? denique
41 Nullumst iam dictum, quod non sit dictum prius.'[1])

Quod enim scaenas iam conversas iterum tractare sibi licere dixit, cum in palliatis eaedem semper personae in scaenam prodirent, adversarios ei permisisse, ut usitatas personas introduceret, sed vetuisse eas eadem ipsa dicentes atque agentes ab eo fingi, quae iam antea Latinus poeta quidam ab iis dici atque agi iisdem scaenis e Graeco translatis fecerat, rectissime exponit Fabia (l. s. pp. 226—227); ceterum quam futtile argumentum eius sit, vel inde intellegas, quod iterum veterum auctoritatem appellat. — Facillime rursum furti crimen refellit

Adelph. prol. 6 'Synapothnescontes Diphili comoediast:
7 Eam Commorientis Plautus fecit fabulam.
8 In Graeca adulescens est, qui lenoni eripit
9 Meretricem in prima fabula: eum Plautus locum
10 Reliquit integrum. eum hic locum sumpsit sibi
11 In Adelphos, verbum de verbo expressum extulit',

cum illam scaenam se nunquam Plauto surripere potuisse, qui eam in Commorientes suam omnino non recepisset, edocuit et probavit; quae eum ex fide affirmasse luce est clarius, nisi forte se adversariis ansam sui rodendi gratissimam daturum fuisse eum praeteriit, si hoc loco a vero recessisset; cuilibet enim ipsi inspicere Commorientes licebat, num Plautus partem illam revera integram reliquisset. — Itaque Terentius altero loco argumentis allatis, altero fide data furti insimulationes refutavit.

II b'. Ad quartum denique opprobrium si procedimus, duo iterum loci nobis adhibendi sunt. Atque quod primum

Heaut. prol. 25 'Arbitrium vostrum, vostra existumatio
26 Valebit. qua re oratos vos omnis volo,
27 Ne plus iniquom possit quam aequom oratio'

benevolentiae spectatorum, quos adigit arbitros, se commendat, minime eum ita se defendisse nemo non concedat. Multo autem futtilius versibus

Adelph. prol. 17 'Quod illi maledictum vemens esse existumant,
18 Eam laudem hic ducit maxumam, quom illis placet,
19 Qui vobis univorsis et populo placent,

[1]) cf. Süss l. s. p. 445.

20 Quorum opera in bello, in otio, in negotio
21 Suo quisque tempore usust sine superbia'

se consuetudine nobilissimorum uti gloriatur, qui omnes adiuvare semper parati sint. Cur vero apertis verbis se in comoediis scribendis eorum auxilio usum esse negare noluerit, in dubio a me relinquatur (cf. Fabia p. 250), atque licet Suetonius recte suspicatus sit, cum annotaret (vit. Ter. p. 6 W): 'videtur autem levius ⟨se⟩ defendisse, quia sciebat et Laelio et Scipioni non ingratam esse hanc opinionem'. Utique iis, quae adversariis opponit, ne minimum quidem continetur, quod ad eum defensandum valeat; unde effectum est, ut fama illa per totam antiquitatem non modo narraretur, sed etiam exaggeraretur.

Satis igitur apparet Terentium non ita prospere inimicorum impetus propulsavisse: neque enim contaminationis artificium neque scribendi rationem gravibus causis probavit, alieni autem auxilii opprobrium amoliri nullo fere modo conatus est; itaque nullam nisi furti criminationem debilitavit. Sed videamus, num forte aggrediendo militem magis strenuum se praestiterit quam defendendo.

Quoniam illa inter Luscium et Terentium dissensio in eo maxime posita erat, quod alter alterum de Graecis exemplaribus utendis praecipiebat, Afrum quoque quot et quanta ad vitia Lanuvinus poeta sua ratione deduceretur docere conatum esse consentaneum èst; ac profecto compluribus locis comoedias eius vellicat. Acerrime enim de iis iudicavit

Eun. prol. 7 'Qui bene vortendo et easdem scribendo male
8 Ex Graecis bonis Latinas fecit non bonas.
9 Idem Menandri Phasma nunc nuper dedit
10 Atque in Thensauro scripsit, causam dicere
11 Prius unde petitur, aurum qua re sit suom,
12 Quam illic qui petit, unde is sit thensaurus sibi
13 Aut unde in patriam monumentum pervenerit',

quibus eum ingenio praeditum esse prorsus negavit, quo bonas fabulas componeret. Quid autem illud 'bene vertendo' sibi velit, intellegemus versibus

Andr. pol. 20 'Quorum (i. e. Naevi Plauti Enni) aemulari exoptat neglegentiam
21 Potius quam istorum obscuram diligentiam'

comparatis; namque ibi vertendi rationi eius 'diligentiam' concedit, sed hanc fucosam laudem vocabulo 'obscura' opposito in reprehensionem commutat; atque item 'bene vertendo' illo Eunuchi loco cum ironia eum dixisse apertum est, quod eandem fere vim habet atque 'obscura

diligentia vertere'; neque illepide Meyerus (l. s. p. 24) coniecit poetam his verbis Lusci ipsius verba per irrisionem respexisse, qui se solum fabulas Graecas 'bene vertere', Terentium eas 'contaminare' antea gloriatus esset. Quid autem efficiebatur ex illa 'bona' vertendi ratione Publi quidem sententia? Satis acerbe illi 'bene vortendo' antithesis figura usus opponit 'male scribendo'. Ac Fabia (p. 265) quidem arbitratur verbo scribendi eandem significationem tribuendam esse atque substantivo scripturae, quae in Phormionis prologo legatur, ut Terentius malum Lusci stilum loco illo exagitaverit; ego vero 'male scribere' ita interpretari ausim, ut non modo stilum, sed totam Lanuvini poetae poesin vituperarit. 'Scribendo' enim, cui Ennius quidem poetandi verbum anteposuerat, etiam totam artem poeticam significari et tritum est et inde cognoscas, quod poetae olim vates vel 'scribae' ipsi nominabantur; praeterea autem substantivum scripturae nonnullis locis Terentianis (Hec. prol. 13 et 24; Adelph. prol. 1) non stilum significat, sed omnia a poeta scripta. Quod si recte interpretemur, Terentius Luscium male 'poetando' comoedias non bonas i. e. malas fecisse dixit, vel ut brevius ea comprehendamus, et comoedias et poetam malos nominavit; qua universa scripturae Luscianae improbatione simul fortasse stilum reprehendi minime nego; neque vero solum eum carpi ex iis quoque versibus apparere mihi videtur, qui illos modo tractatos subsequuntur (Eun. prol. vv. 10—13)[1]; exemplum enim malae comoediae sine dubio iis afferre voluit, quae Donatus (ad Eun. prol. v. 10, I p. 273 W.) recte ita explanavit: 'arguit Terentius, quod Luscius Lanuvinus contra consuetudinem litigantium defensionem ante accusationem induxerit'. Ergo cum non stili, sed compositionis vitium vituperaverit, versibus 10—13, siquidem recte eos intelleximus, exemplum 'malae scripturae' affert, quam antecedentibus in universum Luscio exprobravit. Quod autem ad vitium a Terentio reprehensum attinet ipsum, Roehrichtius (l. s. p. 34) recte ita iudicasse videtur: '... Quod neque spectatores Graecos neque ipsum Luscium, cum fabulam Latine verteret, offendit, neque Terentium offendisset, nisi criminis alicuius aliqua specie indiguisset, ut adversario obtrectaret'. Sane satis obscurum est, quo v. 9 adhuc a nobis omissus spectet; quapropter variis coniecturis docti eum mutare studuerunt (cf. Meyer p. 25), quarum a Bothio solam ingeniose ita factam commemorem: 'Idem Menandri Phasma nuper perdidit'; sed omnes prorsus superfluae sunt; rectissime enim Meyerus (pp. 25—26) Roehrichtium (p. 33) secutus haec exponebat: 'Certe quid Terentius in Lusci Phasmate reprehenderit, nos nescimus, spectatores vero, cum haec

[1]) neque mihi persuasit Fabia, qui (p. 268) hos ab illis quasi resecuit.

fabula nuper acta esset, non ignoraverunt'. Quamquam igitur singula perspicere iam non possumus, Afrum Phasma quoque exemplum 'malae scripturae' apertissimum de industria in memorias spectatorum revocasse manifestum est, qui ipsi eam, dum agitur, improbaverant; hoc enim versu 9 nihil aliud contineri nisi 'indicationem' (Fabia p. 268) pernegandum est. Mea autem scribendi interpretatio si accipitur, apte opinor versus 7—13 ita disponuntur, ut vv. 7—8 Terentius Luscio, qui ex Graecis bonis Latinas fabulas faceret non bonas, omnem ad poesim indolem abiudicarit, ac vv. 9—13 exempla eiusmodi 'scripturae' ita attulerit, ut primum v. 9 totam quandam eius fabulam improbandam vel potius iam improbatam esse a populo diceret, et dein vv. 10—13 partes Thesauri quasdam pusillarum rerum neque vero stili ipsius causa carperet. — Similiter atque Eun. prol. v. 9 quo pertineat, non satis elucet, non plane cognoscitur, quid Heaut. prol. vv. 31—32 exagitetur:

31 'Qui nuper fecit servo currenti in via
32 Decesse populum: cur insano serviat?',

sed hoc constat Luscium a Terentio non idcirco perstrictum esse, quod currentem servum in scaenam prodire iusserat, cum haec persona ipsa inter usitatissimas palliatarum ab Afro enumeretur Eun. prol. v. 36 (cf. Roehricht pp. 35—36); ac Fabia quidem Terentium id potius vituperasse exposuit, quod inimicus servo currenti populum citius aequo viam dedisse fecisset; quod Romanos spectatores, cum maiestate populi indignum esse putassent, sibilis improbavisse, Publium autem occasione eos de illa scaena antea explosa admonendi usum esse; quae omnia si Fabia (pp. 275—277) recte coniectarit, Terentius adversario vertit vitio, quod exemplum religiose atque anxie sectatus Graecos mores Romanam in scaenam traducere non dubitavisset Romanos spectatores se sic laesurum esse oblitus; cuiusmodi incusationem iterum pusillam esse et Fabia et Roehrichtius (p. 36) recte dixit. Ego tamen me illius explanationes, quamvis probabilitatem iis concedas, plane accipere vereri confiteor, et nos quidem, cur Terentius Luscium reprehenderit, ignorare largiri malim, spectatores autem bene novisse, cum ille fabulam huius recens datam respiceret. Sed utut res se habet, utique reprehensio illa vel irrisio non ad totam fabulam, sed ad unam scaenam referenda est, atque etiamsi Roehrichtius (l. s. pp. 36—37) in universum quidem falso dixit 'leves Terenti et Lusci rixas fuisse et tales, quales etiam nunc inter versificatores poetasque scaenicos excitari solerent, in quibus non tam de serio certamine quam de detrectando adversario ageretur', hoc quidem loco ei assentior. — Phormionis denique prologo versibus

6 'Quia nusquam insanum scripsit adulescentulum
7 Cervam videre fugere et sectari canes
8 Et eam plorare, orare ut subveniat sibi'

Terentius adversarium carpsit, quod insaniente descripto talem scaenam in comoediam suam inseruisset vel potius de Graeca transtulisset, qualis et argumento et dictione abhorreret a comoediarum natura. Quem impetum non ita idoneum fuisse, quo Afer suam scribendi rationem defenderet, etsi supra commemoravimus, aliquid tamen ponderis ei tribuas; quamquam enim Plauti, utpote quem Terentius ipse 'bonum' nominavisset, auctoritatem appellare Luscio licuit, cum hic quoque nonnullos locos tragico colore (Fabia p. 278; Roehricht p. 35) imbuisset [1]), admodum profecto dubium est, quadrentne eiusmodi tragicae *περιστάσεις*, quas Donatus (ad. h. l. II pp. 351—352 W) dicit, ad comici generis argumenta; porro autem ipsi scaenam illam iam non novimus, neque scio an Luscius certos fines transgressus sit, quos ultra elegantia consistere nequit; quod si fecit, hic quidem Terentius demonstravit, quantas ad ineptias adversarii accurate Graecorum fabulis in Latinum versis interdum ducerentur. Quis autem certius aliquid de ea re affirmare audeat?

Summam iterum si subducimus, Publius de tota Lusci poesi satis contemptim iudicavit; dicebat enim eum comoedias 'non bonas' fecisse, quod suo arbitrio non admisso obscura cum diligentia exempla Graeca imitatus esset. Cum igitur hic illius fabulas contaminatas vel, si recte hoc vocabulum intellexerimus, consarcinatas esse contendisset, ille huius comoedias malas nominavit eumque, qui scripserat, malum poetam. Quorum conviciorum utrum gravius sit, in dubio relinquam, sine dubio autem Luscio quoque satis superque erat, cur malignitatis adversarium accusaret. Quod vero Terentius hoc universum iudicium singulis adversarii peccatis, quae patefecisse sibi videbatur, corroborare studuit, levissima tantum protulit, praeterquam quod uno loco illo recte fortasse eum vituperavit, quod utrumque scaenicae poesis genus perperam commiscuisset; se autem suo iure fabulas contaminavisse ne his quidem allatis probavit. At obiecerit fortasse quispiam Luscium quoque conviciis tantum adversarios cavillatum esse singulis causis non adiectis; cui erit recordandum illius verba nos non habere ipsa, sed ex adumbratione tantum expressa, quam Terentius ei inimicissimus prologis nobis praebuit. Itaque non recte, ut vulgo fit, Luscius solus malitiae arguitur, sed ne a Terentio quidem quicquam humani alienum fuisse cum

[1]) ergo Sarsinas quoque poeta hoc opprobrio quadam quidem ex parte tangitur, atque ut supra ita hic intellegimus Terentium ab eo, quamvis eum faceret magni, in singulis non raro discrepuisse.

iam edocuisse mihi videor, tum ex illis locis apparet haud paucis (cf. Meyer pp. 26—27; Roehricht p. 36), ubi adversariis minatur. De quibus accuratius agere et longum et supervacaneum est, cum nihil fere lucri nostrae quaestioni inde faciamus; sed mirum quidem est auditu eum compluriens (Heaut. prol. vv. 30—34; Eun. prol. vv. 14—19; Phorm. prol. vv. 22—23) se plura adversarii probra in lucem prolaturum esse minitari, cum ea, quae revera patefecit, nulla fere fuisse meminerimus; vanae igitur eiusmodi minae esse videntur. Digni tamen, qui a nobis quoque commemorentur, Phormionis prologi versus 9—11 sint:

'Quod si intellegeret, cum stetit olim nova,
Actoris opera magis stetisse quam sua,
Minus multo audacter, quam nunc laedit, laederet';

iis enim quamquam unam ex fabulis inimici, quippe quas omnes 'male scriptas' esse diceret, plausum spectantium tulisse concessit, Luscium non suo ingenio hunc successum esse adeptum, sed actoris tantum operae debuisse statim addidit. Num Terentius minus invidiose ita se gessit 'malevolo' illo, qui eum non sua indole, sed aliorum auxilio laudem nanctum esse dixerat?

Alterna inter utrumque altercatione satis, opinor, exhausta nunc quasi in appendice inquiremus, num quae alia artis criticae vestigia exstent in comoediis Terentianis. — Andriae prologi, quem primum fuisse verisimillimum est, versibus

'Nam in prologis scribundis operam abutitur,
Non qui argumentum narret, sed qui malivoli
Veteris poetae maledictis respondeat'

spectatoribus aperte indicat se quamquam prologum fabulae praemiserit, argumentum eo narraturum non esse, sed responsurum tantum maledictis adversariorum; unde argumentum ita praetermittere tum, si non novi, tamen inusitati quidem aliquid fuisse apparet. Adversarios autem prologis argumenta exposuisse certum est (cf. Meyer p. 63), cum ab iis ne petatur veritus futuro impetui iam hic occurrere conetur Terentius; quod recte fecit, nam postea ob id ipsum inimici eum vituperaverunt:

Phorm. prol. 'Nunc siquis est, qui hoc dicat aut sic cogitet:
'Vetus si poeta non lacessisset prior,
Nullum invenire prologum posset novos
Quem diceret, nisi haberet cui male diceret':
Is sibi responsum hoc habeat, in medio omnibus
Palmam esse positam, qui artem tractent musicam'.

Itaque Terentius quasi tacitus se seiunxit et ab aequalibus poetis et a vetustioribus, qui illiusmodi prologos conscripserant; in quibus imprimis numeremus Naevium et Plautum ipsum[1]). Quatenus autem ad Caecilium spectaverit, mihi quidem dubium esse videtur; si enim iam hic argumenta prologis explicari noluisset — quod opinatur Leo (Pl. F. pp. 193—194) —, spectatores huic novo mori adeo iam assuetos fuisse futuros certum est, ut Afer ne minimum quidem haberet, cur tam expresse animos eorum illuc referret; ergo ego quidem mihi persuadere nequeo iam Caecilium comoedias ea compositione artificiosa instruxisse, quam Afri rationi facile concedas; itaque ille quoque et simul fortasse Ennius, si quid de prologis eius conicere liceat, tacita illa aestimatione tanguntur. Sed ut hic illic singula comoediarum priorum improbaret, nusquam, quantum vidi, expressis verbis eas castigabat. Immo Naevi Plauti Enni[2]) auctoritate utebatur, qui fabulas contaminandi licentiam defenderet, et se consulto illorum 'bonorum' exemplum secutum esse profitebatur; de Caecilio Statio[3]) denique quomodo iudicarit nescimus. Quod vero ad alterum dramatis genus attinet, nullum de eo iudicium apud Terentium legimus nisi quod Donatus (I p. 397 W) ad Eun. III 5, 42 annotavit: 'sonitu concutit: parodia de Ennio; templa caeli summa: tragice, sed de industria non errore'; tantum autem abest, ut irrisionis causa hunc versum ex tragoedia transtulerit, ut idcirco eum asciverit, quod quo summus deorum designaretur aptissimus esse ei videbatur. Nusquam denique de scriptis prosa oratione compositis quicquam iudicavit.

Quod ad finem fere progressi quaerimus, quid de sua poesi dixerit Terentius, perpaucis locis eiusmodi aliquid invenitur, ac Meyerus recte de hac re sensisse videtur, qui scriberet (p. 23): 'Etenim semper praestat poetam spectatores comitate usum sibi conciliare studere quam sua ipsius merita laudibus efferentem illos laedere'. Nonnullis tamen locis quasi per caliginem perspicimus, quanti poeta suam artem putaverit. Quod enim Naevi Plauti Enni auctoritatem appellat, se et excusat spectatoribus et commendat, cum se 'bonorum' illorum aemulum profiteatur, qui in ore omnium versentur. Porro Adelph. prol. vv. 18—19 se summae sibi vertere laudi praedicat, quod a Scipionibus Laeliis

[1]) interdum quidem iam Terentianam rationem adhibuerat (Leo Pl. F. pp. 200—201) Maccius. [2]) quomodo eius carminibus usus sit, legas in Vahleni praefatione (pp. XXIV—XXV). [3]) ex eius quoque comoediis nonnulla mutuatus esse videtur (Skutsch RE III p. 1191); ceterum dubito, sitne Phorm. v. 686 'Ad restim mihi quidem res redit planissime' sumptus ex Caecili versu 215 R: 'Ad restim res redit', cum etiam fieri potuerit, ut haec verba ab utroque ex sermone vulgari haurirentur; namque et iam a Plauto (cf. Otto, Sprichw. p. 298) et his temporibus eadem ipsa vox 'restis' similiter adhibetur.

aliisque i. e. ab eruditissimo quoque Romano comoediae suae probentur. Tertio autem loco afferam Heaut. prol. versus

28 'Facite aequi sitis: date crescendi copiam
29 Novarum qui spectandi faciunt copiam
30 Sine vitiis': . . .

quibus ore histrionis usus novas comoedias atque vitiorum expertes spectatoribus se praebiturum esse pollicetur; suas igitur fabulas bonas esse gloriatur, cum Luscianas 'non bonas' nominaverit. Itaque se summum poetam esse certe persuasum habebat, quamvis Ennium imitatus sua ipsius laude se iactare nollet.

Prologis Terentianis gravissima artis criticae testimonia servata sunt, quibus propterea praecipue iuvamur, quod utramque litigantium partem quasi audimus, cum adhuc alterius tantum iudicia acceperimus; quamquam Lusci quidem verba non ipsa nobis suppetere, sed ab inimico reddi, cui quodcunque libebat licebat omittere, non est obliviscendum. Attamen satis et asseverasse et exposuisse mihi videor controversiam alternam in eo imprimis positam fuisse, quod alter alterum de Graecis exemplaribus utendis praecipiebat. Etiamsi autem ita in aesthetica aestimatione versabantur, ambitione maxime atque invidia ad huiusmodi censuram impellebantur, cum alter laudem partam obtinere, alter eripere studeret. Et licet Luscius 'prior laesisset' (Eun. prol. v. 6), minime per eum solum stetit, ut controversia in altercationem mutaretur, cum ne Terentius quidem malignitatis absolvi posset, cuius illum accusare non desiit. Sane utrum Lanuvinus poeta ne suae fabulae a gregum dominis iam non emerentur veritus etiam avaritia perductus sit necne, in dubio relinquam, cum Afro confidere dubitem affirmanti Phorm. prol. 18 'Ille ad famem hunc a studio studuit reicere', quod exaggeratius quam verius dictum esse putem. Mixta igitur erat ars critica docta cum nativa, sed ita, ut hac illa tota fere operiretur: unde haud scio an secutum sit, ut hoc discidium, ex quo Terentius primam comoediam docuerat, nunquam sedaretur, donec poeta Roma in Graeciam decederet.

Quodsi denique tritum illud *κρίσιν* eo magis florere, quo magis litterarum studium coleretur supra commemoravimus, hac quoque aetate praeter Luscium et Terentium haud pauci palliatas scripsisse videntur (cf. Schanz pp. 166—168); quorum iam nomina enumerare me piget, cum in fragmentis eorum nihil [1]) spectet ad artem litterarum criticam.

[1]) Iuventi enim in fragmento IV R quomodo verba 'iudicium Aesopi' intellegenda sint, admodum obscurum est; iam supra autem monuimus, ne talibus versibus, quales leguntur Sexti Turpili 25 R vel 149 R, ad futtiles opiniones deduceremur.

Quamquam ex suo cuivis arbitrio conicere licet eorum hunc illum inter malevolos illos fuisse, qui tam acriter impugnabant Terentium.

§ 6. De Pacuvio Accio (Valerio Sorano).

Quoniam satis diu apud comicos morati sumus, ad tragicos accedi tempus est: ita ut Plautus primus comoedias tantum scripserat, Pacuvius primus alteri dramatis generi soli operam navavisse videtur. Eum autem cum adversariis controversias habuisse neque memoria de eo accepta neque fragmentis cognoscitur; quod vix miremur, quibuscum manus conserere potuerit meditati. Cum enim provectis iam annis Romam se conferret (cf. Teuffel: Caec. Stat. etc. Tübingen 1858, p. 6 ann. 8), Livius et Naevius iampridem mortui erant, ut solum, quantum videmus, aemulum haberet Ennium; neque vero eum unquam avunculum suum atque magistrum, a quo ipso iussus Romam venisse videtur (Teuffel l. s. ann. 6), vellicasse pro certissimo ponere liceat. Tum Enni post mortem usque ad Accium, quem anno 140 fere primum in publicum prodisse probabile est (F. Marx RE I p. 142), per triginta circiter annos scaenae tragicae quasi dominus erat, ut vix haberet, cur artem criticam exerceret, simodo erant aequales, quibuscum in certamen descenderet. Neque multo post illum annum 'grandi iam aetate et morbo corporis diutino adfectus Tarentum ex urbe Roma concessit' teste Gellio (XIII 2,2); quod autem idem narravit: 'Accius tunc haut parvo iunior proficiscens in Asiam, cum in oppidum venisset, devertit ad Pacuvium comiterque invitatus plusculisque ab eo diebus retentus tragoediam suam, cui Atreus nomen est, desideranti legit. Tum Pacuvium dixisse aiunt sonora quidem esse, quae scripsisset, et grandia, sed videri tamen ea sibi duriora paulum et acerbiora etc. . . .', tota haec fabella iam sermonibus ipsis maxime dubia est (cf. Schanz p. 177), ac siquidem quid veri ea continetur, auctores Gelli nescio an Pacuvium parta laude contentum ultro atque sine ira iuniori aemulo scaenam quasi cessisse ita docere voluerint; testimonio autem artis criticae ea uti nolimus. Simodo vero iis ipsis causis permotus Tarentum se removit, eadem fere modestia praeditum se praestitit atque carmine sepulcrali (Gell. I 24,4):

'Adulescens, tametsi properas, hoc te saxulum
Rogat, ut se aspicias, deinde, quod scriptum est, legas.
Hic sunt poetae Pacuvi Marci sita
Ossa. Hoc volebam, nescius ne esses. Vale',

quod genuinum esse iam supra satis asseveravimus. Ac recte a Gellio 'verecundissimum' nominatur: cum enim et Naevius et Ennius grandibus

verbis suam artem extulisset, Pacuvius ne verbo quidem ingenium suum laudavit aeque atque ex nullo fragmentorum eiusmodi quicquam cognoscitur. Quod vero Bormannus (l. s. p. 239) vocabulo 'poetae' aliquid laudis contineri contendit, non assentior; Enni enim auctoritate hac Graeca Latinas 'vatis' vel 'scribae' voces brevissime ex usitato sermone pulsae esse videntur, atque si quid honesti iam in ea relictum esset, quo a Rudino poeta afficiebatur, Terentium Luscium sibi inimicissimum non ita nominaturum fuisse mihi quidem persuasum est; praeterea autem in hoc carmine vox ea nihil aliud spectat, nisi ut quo munere defunctus functus sit designet, sicuti in simillima illa inscriptione (Bormann l. s. p. 227) haec leguntur: 'hic sunt ossa Maeci Lu⟨ci⟩ sita Pilotimi vascularí'. Quodsi autem Pacuvius tanta modestia fuit, eum, ut natura non erat pronus ad rixandum, collegae natu minori cedere maluisse quam laude satis magna conciliata grandaevum altercationes subire facile intellegimus. Sed utut res se habet, eum unquam alios tragicos irrisisse aut castigasse ex nulla re concludi licet. Atque sicuti Terentius alterius scaenici generis poetas non attigerat, Pacuvius quoque comicos nusquam strinxisse videtur. Illud tamen fragmentum omitti non licet, quo quasi hymnum de oratione cantari finxit (v. 177 R):

'O flexanima atque omnium regina rerum oratio!';

cuius laudis partem non mediocrem ad eos pertinuisse consentaneum est, qui oratorio munere fungebantur; oratores autem cum non pauci optimi illuc usque Romae illa aetate iam fuerunt, tum Pacuvium Catonem ipsum publice dicentem audivisse verisimile est; porro reminiscendum est Ennium quoque eius magistrum summi fecisse oratores.

Praeter hunc autem locum nullo Pacuvius aut aequales aut priores litteratos strinxisse videtur; certe tamen persuasum habebat se vetustioribus tragicis arte praestare, praesertim cum quibusdam ex partibus ab eorum ratione recederet; veluti cum tritas fabulas iterum tractare nollet, ignotas fere ex obscuritate quasi deprompsit simulque ostendit, quanta esset doctrina.

Longe alia natura erat Pacuvi successor Accius; nam saepissime de aliis litteratis iudicium tulit atque primus Romanorum et nativam et doctam artes criticas exercuisse videtur. Etiamsi enim iam Luscius et Terentius de compositionis et stili rationibus contendebant et de elegantia inter se dissentiebant, tamen tamquam munere censurae non fungebantur, sed modo se defendebant, modo adoriebantur; nativam igitur potius quam aestheticam crisin eorum supra nominavimus. Accius vero, quippe qui eodem fere anno quo Crates Romam advenit natus esse videatur cuiusque in adulescentia litterarum studium in urbe effloruerit, hoc officium suscipit. Itaque in quaestione apte duo criticae genera ab eo exercitata inter se separabimus, ac primum quatenus nativum illud exercuerit digeremus.

Quaerentibus quid de se suaque arte dixerit, nullo quantum vidi fragmentorum quicquam nobis respondetur; bene autem accidit, quod complures veterum loci suppetunt, unde eum ingenium suum permagni duxisse affatim elucet. Neque enim solum statuam in aede Camenarum sibi posuit (Plin. n. h. 34, 19), sed etiam Iulio Caesari, amplissimo ac florentissimo viro, in conlegium poetarum venienti nunquam adsurrexit, non maiestatis eius immemor, sed quod comparatione communium studiorum aliquanto se superiorem esse confideret. (Val. Max. III 7, 11.) Atque adhibere mihi liceat versum ex Diomede eius reliquum (272 R): 'Non genus virum ornat, generi vir fortis loco', quo quin simul suam de dignitate sententiam pronuntiaverit vix dubium sit; praeterea quod fabellis, quamvis ficta sint singula, mores atque natura eorum, de quibus narrantur, recte describi solent, etiam ex responso, quod Accius in sermone illo Tarentino Pacuvio dedisse dicitur (Gell. XIII 2, 4—6), aliquid superbiae ei innatae perspici potest. Cum autem eximia ad poesim facultate se praeditum esse confisus sit, non miramur, quod maculam publice sibi imponi non patiebatur; velut mimum quendam, qui 'in scaena nominatim eum compellaverat', accusavit et effecit, ut maledicus ille damnaretur (auct. ad Her. I 14; II 13). Atque eum omnibus aemulis, qui de palma cum eo certare audebant, acerrime obstitisse exspectamus, quod tamen in tragoediarum eius reliquiis nihil tale invenitur, iterum non est mirum, cum vix quisquam fuerit, qui cum eo contendere posset. Pacuvius enim ultro cessisse Roma videtur, iuniorum autem C. Titius tantum et C. Iulius Caesar Strabo nominandi sunt, quorum utrumque plus in oratione quam in tragoedia valuisse verisimile est; ille enim scribebat 'satis quidem acute, sed parum tragice' (Cic. Brut. 45, 167), huius autem artem sua multo inferiorem esse Accium putasse vidimus. Contra coniectaverit fortasse quispiam nonnusquam Pacuvium Accio imitationi fuisse, cum et similia verba (Pac. v. 185 R ∾ Acc. v. 292 R; Pac. v. 340 R ∾ Acc. v. 56 R; Pac. v. 218 R ∾ Acc. v. 574 R) et simillima

Pac. v. 362 R 'Nunc primum opacat flora lanugo genas' ∾
Acc. v. 246 R 'Ei lanugo flora nunc demum inrigat'

in utriusque fragmentis iam legantur; at utrumque, ut erat tragicus, per se eadem fere dictione usum esse probabilius est. Neque tamen eum se priores arte victurum esse non speravisse vel inde elucet, quod plus quam semel argumenta eorum retractabat; velut compluriens ita

cum Livio et Ennio et semel quidem cum Pacuvio concertavit (cf. Teuffel l. s. p. 30). In universum igitur Accius vix habebat, cur tragicos aemulos defenderet aut aggrederetur; eo autem vehementiore controversia implicabatur cum Lucilio saturarum poeta; is enim vix saturas scribere coeperat, cum principi tragicorum institit, atque quin idem prior alterum adortus sit, vix dubium sit, cum in castigando ipso novum eius saturarum genus valuerit. Ac si quid veri iterum ex fabella illa (Quint. V 13, 43): '... aiunt Accium interrogatum, cur causas non ageret, cum apud eum in tragoediis tanta vis esset [optime respondendi], hanc reddidisse rationem: quod illic ea dicerentur, quae ipse vellet, in foro dicturi adversarii essent, quae minime vellet', quam universe reiciendam esse Marxio (RE I p. 143) prorsus assentior, promere liceat, coram populo cum aliis rixari Accium non iuvabat. Quae quoquo modo se habent, certe is quoque, postquam petitus est, adversario respondebat; quae singillatim infra demum explicare poterimus, cum responsa eius ex Lucili fragmentis enucleanda sint. Sed ut verbum quidem praemoneamus, id maxime Suessano poetae dedit vitio, quod argumenta saturarum ignobilia essent atque indigna, quae poetica arte tractarentur.

Accium praeter illam cum Lucilio controversiam parce tantum nativam artem criticam exercuisse adhuc eruimus; quoniam autem suam artem perfectam esse confidebat, etiam eum se esse putabat, qui cum suae artis tum totius poeticae historiam scribere posset; quocum munere una alteram illam criticam, quam doctam nominavimus, suscepit administrandam. Ac primus omnium Romanorum utriusque gentis universarum litterarum historiam et temporum et generum habita ratione enarrare aggressus est opere illo Didascalicorum celeberrimo; agebat autem illorum libro I de poesi epica, libro II de poesi scaenica, libro VIII de apparatu scaenico, libro IX iterum de variis poematorum generibus; libris denique qui erant inter tertium et septimum disputasse videtur de poesi Romana [1]. Quibus in quaestionibus occasiones ei offerebantur amplissimae sua de singulis singularum aetatum litteris iudicia inserendi; quibus eum usum esse iam nunc cognoscimus ex fragm. II 13 Baehr.:

'— — ◡ sed Eúripidis, quí choros temérius
ín fabulis ⏑́ — ◡ ◡ ⏑́ — ◡ ◡ ⏑́ —',

quo chorum quendam Euripideum vituperavit, et ex fragm. II 12 Baehr.:

'Út dum brevitátem velint cónsequi verborum
Áliter ac sit réllatum, redhostiant respónsum',

[1]) Verba Nordeni (Rh. M. 48 pp. 530—531) aptissima ipsa attuli.

quo dialogi alicuius compositionem reprehendit. Per se autem intellegitur eum eiusmodi iudicia de iis saepissime edidisse, in quorum censura usus ei suppetebat, nempe de prioribus Romanorum tragicis; eorum enim vitia cum patefaciebat, suis simul tragoediis etiam maiorem laudem conciliabat. Quibus revera strenuum studium ab eo impertitum esse discimus ex insigni illo errore, quo in tempore primae fabulae a Livio actae definiendo implicatus est [1]); quo magis dolemus, quod tam paucae Didascalicorum reliquiae servantur. Quod autem in praefatione autumavimus Cratetem Mallotam una cum arte grammatica aesthetice censendi artem Romam importavisse, Accius cum aliis rebus tum ea quoque ex Pergamenorum disciplina pendet, quod inscriptionem huius operis [2]) *Διδασκαλίαις* Carystii, Pergami qui eadem fere aetate erat, mutuatus esse videtur (Reisch RE V p. 395), et quod Pergamenos secutus Hesiodum vetustiorem Homero fuisse voluit. (Gell. III 11, 4—5). Atque profecto eum Graecorum grammaticorum more *κρίσιν* exercuisse inde imprimis elucet, quod genuina discernere studebat a spuriis; ut eum indicem fabularum Plautinarum composuisse et nonnullas a Plauto abiudicasse Gellius tradit (III 3, 1 et 9); iterum dolendum est, quod quibus ex indiciis spuriam earum originem cognovisse sibi visus sit nescimus. — Ad Didascalica accedunt Pragmatica, quibus eum de similibus rebus egisse probabile est. Quamvis vero de argumento eorum docti dissentiant (cf. Schanz p. 181), mihi quidem Nordenus (l. s.) inscriptionem recte explanavisse videtur; qui cum edocuisset *τὸ 'πραγματικόν'*, ubi ad litteras referretur, usu sollemni opponi *τῷ 'λεκτικῷ'*, hoc opere de argumentis eorumque dispositione et ethesin actum esse recte, opinor, censebat. Simodo huius viri doctissimi explicationes, quas per se admodum firmas esse equidem puto, fulciri velis, haec addere mihi liceat: Aperte Accius versu 25 Baehr.:

'— ◡ — ◡ — describere in theatro perperos [3])
Popularis' . . .

[1]) cf. Leo: Pl. F. pp. 66—67; K. Allen: Amer. jour. of phil. 19 p. 438.
[2]) quod saturam Menippeam fuisse Marxio (RE I p. 146) assentior, quamquam alii aliter de hac re incerta sentiunt. (cf. Schanz p. 180, Leo L. G. p. 390).
[3]) quae vox quid sibi velit quaerendum est; cum adverbium usitatum 'perperam' semper fere contrarium esse soleat adverbio 'recte', adiectivum, quod hoc tantum loco invenitur, etiam ad mores hominum spectare poterat; nam primum substantivum 'perperitudo' apud Accium ipsum (v. 26 Baehr.) idem significat atque levitas vel temeritas animi, deinde Graeco vocabulo '*πέρπερος*', quod ex Latino derivatum est (cf. Walde l. s. p. 577), eadem fere vis inest, postremo Nonius (150 M) perperos interpretatur praeter indoctos, stultos, rudis, insulsos etiam mendaces esse intellegendos; unde sequatur, ut vix iniuria 'perperos' idem fere significare coniciamus quod 'leves' vel 'vitiosos', praesertim cum Accius ipse perperitudinem vitium esse dixerit.

poesim quandam respicit, cuius argumento ignobile ἦθος inest, cum 'perperi' eo introduci dicantur. Quis autem illis temporibus perperos vel vitiosos describebat? Nonne ultro in mentes nobis venit Lucili, utpote cuius saturae vitiis hominum perstringendis totae fere consumantur? Quarum argumenta, quod ignobilia essent, Accium ipsum vituperasse admodum verisimile est[1]); habemus enim versum quendam[2]), unde Lucilium revera 'vitiosum popularem', nempe furem descripsisse iam apparet; neque Luciliano versu idem fere verbum ('perscribere') legi quod Acciano ('describere') omittendum est. Lepidissime igitur conicere liceret illum spectare ad hunc, dummodo ne verbo 'theatrum' ita concludere prohiberemur, quod nullo modo quadrat ad saturas Lucilianas. Tum autem nihil aliud restat nisi ut hunc Acci versum ad comoedias spectare dicamus, utpote in quibus satis multi 'perperi populares' prodierint. Quamquam vero Accium de argumentis aliorum poesis generum iudicavisse affatim ex Lucili fragmentis scimus, et vocabulo 'πραγματικόν' illam, quam commemoravimus, vim inesse Nordenus docuit, colligere liceat de argumentis et ethesin Pragmaticis ipsis actum esse et in iisdem illa de Lucilio quoque iudicia legi potuisse. Quid? quod Nordenus non male coniecit fragm. 24 Baehr.:

'— ◡ — ◡ — ◡ — et cuncta fieri cetera
inbecilla ob ponderitatem gravitatemque nominis'

Accium non suam sententiam protulisse, sed Lucili inimici, qui ita tumorem tragicum irriserat; quod etiam forma enuntiati ipsa indicari videatur. Nonne igitur facile fieri potuit, ut Accius hoc primo (vel priore) Pragmaticorum libro ab illius calumniis se purgaret?; quod quo aptiore loco facere potuerit nescio cum Nordeno (l. s. pp. 533—534). Quando autem eum a Lucilio ita petitum esse censes? Ea potissimum satura, qua Acci tumori tragico ipsi poetam Suessanum illusisse satis probabile est, i. e. in libro XXVI (cf. Cichorius, Unters. pp. 127 sqq.). Ac porro coniciamus — ultra coniecturas enim quicquam his in rebus obscurissimis proferre non possumus — Pragmaticis eum non modo se defendisse, sed ipsum aggressum esse adversarium, quem, quod 'Musconis manum perscripsisset tagacem' vituperaret; quam reprehensionem Lucilius rursum haud scio an respexerit libro XXX (v. 1031 M). Cum autem libri XXVI—XXX universe quidem ex temporum ratione ordinati esse videantur (cf. Cichorius p. 70) eorumque singulas saturas plerumque brevi, postquam compositae sunt, a poeta foras editas et postea demum uno corpore comprehensas esse verisimile sit, facile, aut

[1]) quod infra accuratius videbimus in Luc. v. 608 M explanando. [2]) de hoc quoque (1031 M) copiosius infra agemus.

ego fallor, fieri potuit, ut Lucilius libro XXVI Accium ob tumorem tragicum adoriretur, hic illi Pragmaticorum libro I, cui illud fragm. 24 Baehr. attribuendum est, responderet, ille rursus libro XXX haec responsa impugnaret; nam eo quoque libro tragicum poetam carptum esse a saturico pro certo ducere licet (cf. Cichorius pp. 202 sqq.). Quae si recte suspicatus sim, Pragmatica[1]) inter saturarum libros XXVI et XXX ponenda sunt, i. e. inter annos 131 et 123; illo fere enim Lucilius, quantum cognosci potest, saturas scribere coepit, hoc autem primum earum corpus comprehensum edidit[2]). Quo eodem tempore Accius ea ipsa aetate erat, quam Graeci ἀκμήν vocabant, iam per decennium fere tragoediis condendis occupatus; itaque satis erat litterarum peritus, ut historiam poesis scribendam susciperet, quippe qui iam tum etiam grammaticis in studiis versaretur, simodo Lucilius libro XXVI zetematia ad illa pertinentia impugnavit (cf. Cichorius p. 128). Postremo autem haec quoque ad tempora huius operis ita definita quadrare videntur: supra vidimus fragmento 25 Baehr. argumenta comoediarum ab Accio carpi; quo longius progressus vocabulo 'populares' permotus nunc autumaverim togatas ibi tangi; nonne enim id ipsum earum proprium erat ab histrionibus non Graecorum, sed Italorum, i. e. Lucili et Acci popularium partes agi? (cf. Marx RE I p. 709.) Cum autem Afranius, huius dramatici generis facile princeps, Gracchorum aetate floruisse videatur (cf. Marx l. s. p. 708), quo eodem fere tempore Pragmatica composita esse opinati sumus, fieri potuit, ut Accius hoc opere ipso de Afranio iudicaret; neque aliter certe tragoediarum poeta, qui ut nobilia argumenta poesi inessent postularet, de eo cogitavit ac multo postea Horatius, qui eum 'humili sermone in obscuras tabernas migravisse' existimaret (art. poet. v. 229), aut Quintilianus, qui exclamaret (X 1, 100): 'Utinam non inquinasset argumenta puerorum foedis amoribus mores suos fassus!' (Ceterum quod Accius fragmento 26 Baehr.:

'Et eo plectuntur poetae, quam suo vitio, saepius,
Ductei vilitate nimia vestra aut perperitudine'[3])

etiam per populum, qui pravo elegantiae uteretur iudicio stare dixit, ut poetae in vitia delaberentur, ad togatarum iterum poetas eum ita

[1]) vel, ut accuratius rem circumscribamus, primus potius eorum liber; sed alterum aut alios eorum libros paulo post eum conditos esse per se verisimillimum est. [2]) quod Cichorius (pp. 70—76) edocuisse mihi videtur, cum Marxius libros XXVI—XXX iam inter annos 131 et 129 editos esse voluisset (prol. p. XXXIV). [3]) ex voce 'vestra' apparere videtur non ad veterem comoediam Atticam (cf. Ribbeck Röm. Trag. p. 268) pertinere, sed ad togatam Acci aequalem, qui suos populares ita appellaverit.

spectasse si coniecerimus, eruntne, qui nimiae nos arguant temeritatis?). Sed sive recte tempora Pragmaticon circumscripsimus, sive erravimus, pro manifestissimo habere licet ea non minus quam Didascalica[1]) locos praebuisse aptissimos, quibus Accius aestheticae aestimationis munus subiret. — Quod denique primus Romanorum indicem fabularum Plautinarum constituisse videtur, pater criticae altioris, quae vocatur, quasi factus est, si ita dicere liceat[2]). In utroque autem genere studiorum, quae introduxit, et litterarum historiae scribendae et indicum componendorum brevi postea haud paucis imitationi erat, ut laudi ei attribuendum sit satis magnae, quod ea a Graecis mutuatus est atque primus sua ratione nativam crisin coniunxit cum docta.

Huius paragraphi quasi in appendice pauca dicam de Q. Valerio Sorano, aequali Acci natu paulo minore (cf. Cichorius Herm. 41 pp. 67—68), qui similia in quaestionem vocavisse videtur atque ille; et dummodo perquam credere liceret Schanzio dicenti (p. 222): 'Auf ein litterarhistorisches Gedicht in Hexametern führt ein Vers, in dem Accius wegen Anwendung einer griechischen Akkusativform getadelt wird', liber ei vindicandus esset haud dispar Didascalicis Pragmaticisve Accianis. Sed doctissimus ille mea quidem sententia plus quam certum est affirmavit; ex versu enim (Varro de l. l. X 70):

'Accius Hectorem nollet facere, Hectora mallet'

nihil aliud apparet nisi Valerium grammaticum quendam usum Accio proprium commemorasse[3]); ergo hoc tantum apparet eum grammaticis rebus studium impertivisse, quod idem ex aliis fragmentis (Funaioli p. 78) discimus. Atqui minime nego eum etiam de litterarum fortasse historia egisse, praesertim cum Cicero (de or. III 11, 43) litteratissimum togatorum omnium a Crasso eum nominari fingat, sed neque ex fragmentis neque ulla veterum memoria tale quicquam elucere tenendum est. Quae cum ita sint, recte fecit Cichorius (l. s.), quod cum Valeri studia enumeraret, illiusmodi commemorare noluit; ac ne nos quidem tam certo quam Schanzius, Zillingerus (l. s. p. 6), alii eum carmen de litterarum historia ipsa scripsisse affirmare audemus; nescimus igitur, num Accium imitatus aestheticae aestimationis officium executus sit.

§ 7. De Lucilio.

Lucilium demum saturam novum poesis genus atque Romanorum proprium condidisse inter omnes constat; cum enim Enni saturae nihil

[1]) quae mea quidem sententia post illa conscripta sunt, cum singulae quaestiones antecedere soleant universis. [2]) ita eum nominavit Zillingerus (l. s. p. 6). [3]) ac ne id quidem Schanzio concedo fieri non posse, quin reprehensionis aliquid ex hoc versu enucleetur.

aliud fuissent nisi carmina, quibus argumenta maxime varia continebantur, Lucilius satura, quam nominabat, praecipue utebatur ad omnes fere res et homines, qui ei occurrebant, destringendos; itaque litteratos quoque aequales, utpote qui esset promptissimus ad aggrediendum, cavillabatur; veluti Accium maxime ab eo petitum esse iam supra commemoravimus. Quod nunc eiusmodi iudicia compositurí sumus, nos in editione atque commentario Marxii et libro Cichorii niti confiteamur vix necesse sit; quorum doctissimorum uterque eximie de Lucili poematis interpretandis meritus etiam locos a nobis tractandos ita plerumque excussit, ut nos quidem haud ita saepe aliquid adicere possimus.

Primum interrogantibus, quid de tragoediis senserit, significanter respondetur versu XXVI 587 M[1]): 'nisi portenta anguisque volucris ac pinnatos scribitis', quo poeta ad beluas fabulosas atque portenta a quibusdam 'scripta' respicit; quae quin et in Pacuvi et in Acci tragoediis saepissime versata sint, non est dubium[2]): ut illius anguium volucrium descriptio clarissima erat (Marx II p. 219). Neque multum interest, utrum haec verba adversario Lucili cuidam attribuamus (Marx l. s.), qui eum admoneat, ut easdem res carminibus persequatur quas tragici, an Lucilio ipsi (Cichorius p. 130), qui hos impugnet arbitratos monstris ita describendis animos populi esse capiendos: utique enim poeta hoc versu tragicis obsistit, cum non portenta, sed homines aequales eorumque mores saturis depingendos sibi proposuerit.

Quod autem verbo 'scribitis' certos quosdam adversarios, nimirum aequales, alloqui videtur, Accium in primis perstringi verisimillimum est (cf. Cichorius p. 131), quem principem qui tum erant tragicorum fuisse satis supra exposuisse mihi videor; ac mihi quidem non improbabile est in 'scribitis' illum contemptionis pluralem, quem Marxius dixit, in arte litterarum critica ipsa haud raro usurpatum inesse, ut Accius, quippe qui quasi dominus scaenae tragicae tum fuerit, solus fortasse hic tangatur; utique cum tragici tum is ipse intellegendi sunt. Quod idem affirmes de versu eiusdem libri 608 M:

'— ⏑ nunc ignobilitas his mirum ac monstrificabile',

quo facetissime Lucilius eorundem impetus propulisse videtur[3]); iis enim, qui tragoedias suas nobilitate quadam ornatas esse dicerent[4]),

[1]) longe alia neque vero, opinor, veri similia de versibus huius libri inter se conectendis protulit Theodorus Birt (Zwei politische Satiren etc. Marburg 1888, pp. 78—88) [2]) commemorantur quidem eiusmodi portenta atque prodigia Pacuvi versibus 80—82 R; 381 R; Acci versibus 209—213 R; praetext. versibus 5—6; 17—28; 29—38. [3]) malim enim Cichorium (p. 130) sequi quam Marxium (II p. 226), quem hunc versum recte ad ambitiosos rettulisse parum credibile est. [4]) cf. Cichorius p. 130; ceterum quod Horatius

novum saturarum genus certe aliquid 'mirum ac monstrificabile' esse videbatur; rursum autem haud scio an nemo quisquam dubitet, quin Lucilius consilio atque irrisione adiectivo 'monstrificabile' illud Pacuvi (20 R) 'luctificabile' (Marx II p. 226) vel Acci (421 R) 'tabificabile' atque (617 R) 'horrificabile' [1]) imitatus sit: consuetudine autem tragicorum voce tam turgida vel sesquipedali, quam Horatius (art. p. v. 97) vocat, usus quasi ipsorum armis eos fugat. Porro etiam v. XXX 1031 M:

'et Musconis manum perscribere posse tagacem'

non minus ad Accium referendum esse mihi quidem plane persuasit Cichorius (pp. 206—207); unde aliquem negasse concludere licet eas materies, quas Lucilius tractaret, arte poetica dignas esse, cum sceleratum furem describere bonum poetam dedeceret; quod eum potissimum vituperasse credibile est, a quo ignobilitatem novi saturarum generis aliis quoque locis reprehensam esse non iniuria modo coniecimus, et quem Lucilio maxime adversarium fuisse scimus, nempe Accium. Nonne enim versu 1031 saturarum poeta ob ignobilitatem castigatur? Pragmaticis autem ipsis fortasse eum ab inimico carptum esse iam supra exposuimus. — Atque ut de argumentis poesi tractandis valde dissentiebat a tragicis, sic etiam scribendi rationem iis usitatam perquam improbabat. Perspicue enim versu XXIX 875 M:

'verum tristis contorto aliquo ex Pacuviano exordio'

Pacuvi prologos vellicat ut contortos, atque lepidissime Marxius (II p. 296) coniecit eum, qui exordio tristitia afficeretur, poetam ipsum fuisse, cum in theatro sederet fastidiosus Musae Pacuvianae; neque, opinor, poetam pronomine indefinito 'aliquo' uti neglegendum est; ergo non certum quoddam tragici illius exordium, quod casu tanto turgeret tumore, vituperavit, sed eorum quasi proprium esse dixit taedio afficere spectatores. Praeterea etiam versu XXVI 597 M:

'squalitate summa ac scabie, summa in aerumna, obrutam'

evidenter tragicorum ampullae perstringuntur, quem ad eiusdem tragici clarissimi Antiopam spectare cum iam Muellerus (C. Lucili sat. rel., Leipzig 1872, p. 247) annotasset, Marxius compluribus locis allatis

(art. poet. v. 259) trimetra Acci 'nobilia' nominavit, nescio an iam hic ipse suas fabulas 'nobiles' esse asseveraverit, in quibus non humiles, sed 'nobiles' prodire voluit; veluti Telephus eius adeo 'nobilis' erat, ut miserias ipsas nobilitaret: cf. vv. 621—622 R:

'Nam huius demum miseret, cuius nobilitas miserias
Nobilitat'.

[1]) ceterum rectissime Marxium 'monstrificabile' in fine versus posuisse etiam his exemplis ex Accio sumptis probatur, cum uterque versus in verba illa exeat.

(II p. 223) satis edocuisse mihi videtur. Ut autem adiectivum 'monstrificabile' ad Pacuvi et Acci orationem ab eo fictum esse arbitrabamur, sic etiam vocabulis 'repandinasum' et 'repandirostrum' versu V 212 M.):

'lascivire pecus nasi rostrique repandum'

per ironiam illud Pacuvi 'repandirostrum' (408 R) eum imitatum esse si non certum, attamen non improbabile est (cf. Marx II p. 87). Quod vero Pacuvi versum 112 R, de quo mox planius agemus, totum suis saturis intulit, cum alia tum hoc spectasse mihi quidem videtur, ut sesquipedale et grande verbum 'averruncassint' tragoediis et precationibus usitatum (cf. Thes. l. l. II 1316—1317) irrideret; nescio denique an Marxius (II p. 239) vocem 'contemnificum', quae nullo loco nisi apud Lucilium in lib. XXVI 654 legitur (cf. Thes. l. l. IV 634—635), ex Pacuvi Chrysa eadem mente sumptam esse recte coniectarit. Unde ne Pacuvium quidem, qui iampridem Roma tum se removisset, Lucili censuram effugisse affatim appareat; parum igitur credibile est illum ab hoc ita laudatum esse ut Ferdinandus Naeke (opusc. I p. 105) aliique voluerunt, qui versum XIX 567 M.: 'rausuro tragicus qui carmina perdit Oreste' ad illius Dulorestem revocaverunt. Quo versu in poetam malum illudi Dousa perperam opinatus est Iuvenalis loco aliquo (1 v. 2) comparato, sed iamdudum de actore quodam scaenico agi docti cognoverunt, qui vocis raucitate, ne bene efferret versus, impediretur; cum autem histrio ille bonum tantum opus perdere posset, Lucilius hoc versu Dulorestem Pacuvianam satis collaudasset. Sed rectius Marxius Lachmannum secutus de Graeca potius fabella aliqua cogitandum esse exposuit; etiamsi enim non offendimus, quod Dulorestae nomen ipsum non legimus, cum haec vox, quae orditur a cretica mensura, in hexametrum inseri non potuerit, tamen hoc maxime Naekii opinioni obstat, quod Lucilius omnibus aliis locis quibus commemorat tragicos carpit et in versu 875 se contortorum Pacuvi ipsius exordiorum taedere expresse dicit. Itaque hunc quoque saturis nonnunquam irrisum esse tenendum est; multo acrius autem in Acci rursus stilum cavillabatur aequalis adversarii. Nam ex versibus XXVI 649—650[1]) M:

quid ni et tu idem inlitteratum me atque idiotam diceres,
siquod verbum inusitatum aut zetematium offenderam

antea aliquem conquestum esse appareat, quod a Lucilio inlitteratus atque idiotes appellatus esset, cui poeta his verbis respondit se illum

[1]) quos Cichorius (pp. 127—128) mea quidem sententia rectius interpretatus est Marxio (II pp. 237—238), qui pronomen interrogativum 'quidni' non satis respexisse videtur.

iure ac merito talibus conviciis corripuisse, quotiens in verbo eius inusitato aut in zetematio offendisset; illum enim item sibi maledicturum fuisse, modo occasio esset oblata. Cur autem non de Pacuvio, quocum Lucilius hic disputaverit, cogites, iam supra satis exposuimus; porro quod poeta se in zetematiis[1]) alterius offendisse fatetur, hunc adversarium grammatico functum esse munere admodum verisimile sit. Scimus vero certissime Lucilium etiam de grammaticis rebus valde dissensisse ab Accio; quod enim versibus IX 352—355 M:

> 'aa primum longa, ⟨a⟩ brevis syllaba, nos tamen unum
> hoc faciemus et uno eodemque ut dicimus pacto
> scribemus 'pacem: placide; Ianum, aridum: acetum',
> Ἀρες Ἄρες Graeci ut faciunt.

aperte negat se eorum opinionem secuturum esse, qui ā productam geminata littera discernere velint ab ă correpta, Accium, etiamsi nominatim non appellat, manifeste impugnat, cum hic ipse eiusmodi geminationem introducere conatus sit; porro non dubium est, quin saturarum poeta reliquas quoque vocales (praeter i) nullo quantitatum discrimine scripserit (L. Mueller l. s. p. 222); veluti in versibus IX 356—357 M:

> 'fervere, ne longum. vero hoc lectoribus tradam.
> fervit aqua et fervet, fervit nunc, fervet ad annum'

nimis commoditati legentium inservire noluit, qui suis ingeniis usi facillime intellegere possent, utrum vocalis e longa esset an brevis. Cum autem Accius etiam vocalem o et u productas duplicibus litteris significaverit (cf. Mar. Vict. G. L. VI p. 8 K.), Lucilium in libro IX etiam his vocalibus exempla, quae nos iam non habemus servata, attulisse pro certo habeam; per se tandem constat Accium haec geminandi praecepta etiam in scriptis suis adhibuisse; ergo Lucilius[2]) hac quoque ex parte ea vituperabat.

Quoniam autem ne grammatico quidem Accio a Lucilio temperatum esse satis nunc explicavimus, grammaticum illum, de quo versibus 649—650 agitur, eundem esse intellegendum verisimillimum est; quod denique attinet ad inusitata verba, quae quod usurpentur illis reprehenditur, Horatius expresse narrat (sat. I 10, 13) stilum tragoediarum Acci nonnullis[3]) locis displicuisse Lucilio. Eandem igitur fortunam Accius

[1]) quae Reitzensteinius (Straßb. Festschr. zur 46. Phil. Vers. 1901, p. 147) et Cichorius (p. 128) rectius, opinor, ad res grammaticas rettulerunt quam Marxius (II p. 238) ad philosophiam. [2]) quae quibus ambiguitas casuum discerneretur ipse praeciperet, nuper cum Ferdinandus Sommer (Herm. 44 pp. 70—77) explanavisset, nuperrime Kentius (Glotta 4 pp. 299—302) multo ab eo diversa protulit; quorum uter rectius iudicaverit alii diiudicent.
[3]) quos non paucos fuisse intellegas ex Porphyrionis ad hunc locum annotatione.

subibat atque Pacuvius, quorum utriusque verba 'sesquipedalia' castigabantur. Ac ne Ennius quidem, quem epicum poetam ab eo collaudatum esse infra exponemus, meros honores ex Lucilio audivit; nam ille quoque huic in tragoediis dedisse videtur, ubi tumorem carperet; veluti versus XXIX 872(—873) M:

> 'latere pendens, saxa spargens tabo, sanie et sanguine
> atro'

eo nimirum consilio integer ex Thyeste eius (scen. 363 V.) sumptus est, ut verborum pompa illuderetur (Marx II p. 296); quo ex versu tumor tragicus perbene cognoscitur, cum non minus tria synonyma cumulata in eo inveniamus. Ac ne de metricis[1]) quidem rationibus omni a parte ei assensus est. Recte enim in versu 1190 M verba 'horret et alget' priore parte Enniani illius (Scipio p. 214 V.):

> 'Sparsis hastis longis campus splendet et horret'

ita suppleta esse arbitror, ut Lucilianus hic fuisse videatur (cf. Marx II p. 376):

> '⟨sparsis hastis longis campus et⟩ horret et alget.'

Qua in re saturarum poetam illum Ennianum propterea illusisse consentaneum est, quod cum quattuor spondeos tum tria vocabula spondiaca habet; algidi enim atque horridi aliquid in eiusmodi hexametro esse ei videbatur. Neque non facio cum Marxio coniectante (l. s.) ne hunc quidem Annalium versum (609 V.):

> '. . . saxo cere comminuit brum'

vituperationem Lucili fugisse, sed eum, qui tmesim haberet asperrimam, eodem loco irrisum esse atque illum versum algidum. Tandem haud illepide Leonem coniecisse puto etiam versibus XXIX 870—871 M Ennium irrideri; subtiliter enim explicabat (Gött. gel. Anz. 2 p. 856) hos versus, quos ex Enni tragoediis sumptos esse Marxius ipse (II pp. 295—296) probaverat, (Marxii additamento nimirum neglecto) intellegi posse et anapaestos Ennianos et malum hexametrum:

> a) nec véntorúm flamína flandó sudá secundént
> b) néc ventórum flámina ‖ flándo súda secúndent.

Hos autem anapaestos, quos quin ipse nusquam adhibuerit procul est dubio, quod mediis in hexametris posuit, Lucilium facete illusisse et hunc metrorum ludum vix quemquam fefellisse apertum est. Qua interpretatione nonne optime illustratur illud Horati (sat. I 10, 54):

[1]) de quibus quamquam ad Annales potius pertinent, iam hic agere mihi liceat, cum eas vinculo quamvis tenui cum scribendi ratione cohaerere putem; ceterum Lucilium revera de iis meditatum esse apparet ex versibus 1294 et 1295 M.

'non ridet versus Enni gravitate minores?'

ceterum hunc quoque versum, qui diras ac malas imprecationes contineat, ea mente allatum esse probabile est, ut tragicorum tumor exagitaretur. Commemoretur denique Lucilium ne Euripidi quidem tragico clarissimo pepercisse, quippe quem vituperaret (fragm. 1169 M), quod enthymema adhibuisset vitiosum. — Acerrimum igitur criticum tragici habebant Lucilium; quae dissensio in eo maxime posita erat, quod et argumenta et stilus tragoediarum longe abhorrebant a saturis Lucilianis; harum enim ratio tragicis humilis atque ignobilis, illarum rursum ratio Lucilio turgida esse videbatur; a quo imprimis Accium electum esse ad perstringendum satis explicavimus. Sed ut fieri solet, adversarii non solum ex re, sed etiam ex ira certabant; iam nobis enim perspicere licet, quanta invidia alter alterum insectatus sit. Ut Accius propterea Lucilium et defendisse et adortus esse videtur, quod ne gloria ab eo superaretur timebat; nam versus XXX 1013 M:

et sola ex multis nunc nostra poemata ferri,

quo hunc illi vitio dedisse probabile est, quod laudi suae invideret, clarissimum de gloria poeseos Lucilianae et auctoritate apud aequales testimonium poetae ipsius est; neque hunc versum iam in libro XXX exstare neglegendum est. Contra Suessanus poeta eo processisse videtur, ut Accium minima indole esse autumaret. Etiamsi enim erant, qui illum in versu XXVIII 794 M:

'quare pro facie, pro statura Accius'

se vocem staturae aliter usurpari velle atque hunc exponere opinarentur, Marxius (II pp. 278—279) parvam tragici poetae staturam irrideri satis ni fallor probavit et sententiam huius versus ita supplevit: 'ingenium eius exiguum, sicuti statura et corpus.' Ac rectissime Cichorius (pp. 153—154) Plini quodam loco (n. h. XXXIV 19) nisus Accium hoc versu ideo simul castigari addidit, quod nimiam statuam in Camenarum aede sibi posuisset; cui similem irrisionem quandam in versu XXX 1028 M: 'cui sua conmittunt mortali claustra Camenae' inesse Dielsius lepide dixit, cum Lucilium ita Accio, qui collegii poetarum praeses fuisset, metaphora usum illusisse coniecit (cf. Cichorius p. 206; certe igitur ille hunc rodit, quod summus poeta esse sibi videretur, cum minimo profecto ingenio esset. Quae cum ita sint, proponam quidem versum XXVI 653 M:

'di monerint meliora, amentiam averruncassint tuam'

non cum Marxio (II p. 239) interlocutori, qui poetam ne tales saturas scribere pergat dehortetur, cuidam attribuendum esse, sed Lucilio ipsi, qui tragico versu cum ironia usus, sicuti adiectivo 'monstrificabile' tragi-

corum consuetudine ficto eos illuserat, deos precetur, ut Accium amentia liberent; moneam enim hunc etiam versu eiusdem libri 649 compellari, qui idem summum acerbitatis testimonium est, qua Lucilius eum sibi inimicissimum persequebatur. Quantum autem interest inter 'idiotae' et 'amentis' convicium? Atque etiam versus XXVI 628—630 M:

'ut ego effugiam, quod te in primis cupere apisci intellego,
et quod tibi magno opere cordi est, mihi vementer displicet
summis nitere opibus, at ego contra ut dissimilis siem'

ad inlitteratum illum et amentem spectare videntur, quibus saturarum poeta ea, quae tragicus appetat, ita sibi displicere dicit, ut eius quam dissimillimus fieri studeat. An quisquam cum Leone (L. G. p. 415 ann. 1) hos versus referre mavult ad 'divitem quendam et potentem' a Lucilio increpitum? — (Quod Cichorius p. 131 complures eiusdem libri versus composuit, quibus poetam exempla tumoris tragici coacervasse suspicatus est, nihil improbabile protulit; cum autem quorum ex tragoediis sumpti sint nesciamus, non multum proficimus ex hac coniectura.)

Cum tragicis igitur poetis Lucilius summis in controversiis versabatur; contra nullo fere loco comicos cavillabatur. Immo si Cichorius (pp. 171—177) recte coniectaverit versus XXIX 879—894 M reliquos esse ex satura quadam, qua poeta Stati Caecili 'Hymnidem' imitatus sit, eum comoediis satis favisse appareat; quod minime est mirum, cum comoediarum natura non multum differat a saturis, quod iam Horatius intellexit (sat. I 4, 1—7). Attamen idem doctissimus exposuit inter Afranium togatarum poetam et Lucilium non mediocres fuisse inimicitias; in versibus enim XXX 1014—1017; 1019—1021; 1026—1027; 1030—1038 M acerrimus inter hunc et alium quendam poetam dialogus recognoscitur. Hic autem adversarius est comicus poeta; nam in versu 1029 comoediarum argumenta significantur verbis 'ea quae speciem vitae esse putamus', quod Marxius doctissime probavit (II pp. 329—330); quem Afranium ipsum intellegendum esse Cichorius (pp. 193—202) sua cum sagacitate mihi quidem persuasit, cum eos iam in re publica inter se dissensisse[1]) probavit. Quibus in re publica inimicitiis nescio an etiam effectum sit, ut versibus 1019—1020; 1034 M Afranius propterea vituperaretur, quod ipse libidinosam vitam

[1]) Afranius enim in prologis comoediarum suasor exstitisse videtur Metelli Macedonici de uxoribus ducendis legum; (cf. vv. 360—362 R; Marx RE I p. 709; cui simile fortasse aliquid cognoscatur et ex vv. 241—242 R, quibus uxor (sc. legitima) familiae fundamentum nominatur, et v. 326 R, quo sanctitudo quaedam in matronae nomine esse dicitur); easdem autem leges Lucilius vehementissime impugnabat (cf. Cichorius pp. 133 sqq.).

ageret, cum aliis ut uxores ducerent suaderet; quae reprehensio cum non ad artem eius ipsam pertineat, nostrae quaestioni nullius fere momenti est. Ingeniose autem Cichorius conclusit Lucilium etiam de fabulis eius iudicavisse; demonstrabat enim illius versus 957—958 M simillimos esse huius versibus 274—275 R, et illum huic imitationi fuisse colligebat; nam scimus Afranium ab aequalibus furti accusatum in Compitalium prologo[1]) non infitiatum esse se quaedam a Menandro atque etiam a Latinis poetis sumpsisse. Ergo Lucilium quoque inter eos, quorum impetus illic propulsat, esse veri simile est; cuius sententiae auctoritatem augeam, cum poetam etiam in versu XVII 549 M: 'si messes facis, ⟨et⟩ Musas si vendis Lavernae' compilatorem quendam vituperare adiciam, etiamsi hoc loco de stoico agi videtur, qui in versibus 550—551 M sese excusat philosophiae praeceptis. At miratus sit fortasse quispiam Afranium eiusmodi furti argui ab eodem Lucilio, quem ipsum ex operibus permultorum poetarum versus in sua carmina transtulisse vel imitatum esse statim cognoscemus, cum indicem Marxianum evolverimus (I p. 100). Quae cum ita sint, Afranium versibus aliorum tam crebro usum esse (quod quatenus iam intellegatur infra exponemus), ut eorum poemata quasi expilasse videretur colligamus oportet. Ceterum et inde, quod versus e saturis eximebat, haec poesis genera inter se satis similia fuisse apparet; atque item Lucilius nonnullos comoediarum versus in saturas recipiebat. Quamquam etiam ex tragoediis non paucos hauriebat, sed hoc — quod iam supra commemoravimus — saepissime eo consilio faciebat, ut eas cavillaretur; in illis autem e comoediis sumptis talis ratio perspici non potest. Est igitur statuendum Lucilium comoediarum neque argumenta neque stilum usquam carpere, quamvis in Afranium animadvertebat; hunc enim minime increpabat, quod comoedias scribebat, sed quod versus undique compilabat.

Similitudine quadam etiam l e x T a p p u l a c o n v i v a l i s Valeri Valentini cum satura coniuncta erat, quae eadem irrisionis ac ludibrii causa composita esset; illudebatur enim in leges convivales. Quam ad legem quin versus 1307 M 'Tappulam rident legem † conter Opimi' spectet, nemo dubitare potest, cum Festus (363, 22 M) Lucilium hoc versu ipso eius meminisse narret. Quod autem L. Opimius[2]) in iis numeratur,

[1]) vv. 25—28 R, de quibus infra agemus accuratius. [2]) recte Cichorius (pp. 342—343) Marxii coniecturam: 'canterii opimi' reppulit; quod autem Muenzerus (Neue Jahrb. XII pp. 191—192) suspicatus est propterea Opimium commemorari, quod eius consulatus, quippe in quo vites uvis dulcissimis redundarent, optime audivisset a potoribus, ipse satis cunctanter hanc coniecturam protulit.

quorum animi hac lege delectentur, poetam una cum hoc viro opus ipsum corripere satis certo colligi liceat; eum enim a. L. Opimio alieno fuisse animo Cichorius (p. 208) probavit versum XXX 1089 M recte interpretatus. Ergo Lucilius eos illudere videtur, qui scriptis vilissimis atque legi Tappulae similibus oblectantur. Porro si versus 1316 M

'. . . Valeri sententia dia'

ad eandem legem pertineat (Cichorius p. 348), hoc quoque loco poeta sale atque facetiis utitur, cum post elata verba 'sententia dia', quae ex Ennio sumpta esse videntur (Marx II p. 421), tritum atque humilem illius carminis ridiculi locum quendam ponit. Curnam vero hanc legem Tappulam tam exigui existimaverit, non facile dicamus, cum carmen illud non noverimus[1]), neque scio an recte rusticitatem iocorum atque scurrilitatem ei displicuisse coniciam, qui ipse urbano sale uti soleret, et Valerium ad eam progressum esse obscenitatem[2]), ut ab eo, quamvis obscena minime commemorare timeret, improbaretur.

Restat, ut exponam, quid Lucilius de e p i c i s p o e t i s iudicaverit. Ex fragmento 1189 M:

'Homerus alter' ut Lucilius de Ennio suspicatur

videmus Ennium epicum poetam ab eo summis laudibus elatum esse, cum alter Homerus nominaretur. Eodem autem sensu percipiendum est Enni Annales a poeta dignos putari, qui in versibus IX 342—343 M

'illa poesis opus totum, (tota [que] Ilias una
est, una ut θέσις annales Enni)' . . .

cum Iliade Homeri componantur, veluti poesis verae specimen et exemplum iustum; quamquam enim Lucilius versus eius gravitate minores interdum irridebat, totam eius poesim culpare noluit (Vahlen in. praef. ed. Enn. pp. XXVII—XXVIII); quod vero Skutschius (RE V p. 2614) his versibus Lucilium iis respondisse coniecit, qui eum quod antea aliquando Annales castigavisset reprendissent, ego hanc coniecturam neque accipiam neque prorsus improbem. — Etiam magis perspicuum fiat poetae de epicis iudicium ex hisce: manifestum est eum versibus 1009—1011 M:

'producunt me ad te, tibi me haec ostendere cogunt.
neminis ingenio tantum confidere oportet,
gratia habetur utrisque, illisque tibique simitu'

consilium amicorum secutum carmina litterato cuidam proponere, qui iudicium de iis faciat; quis autem hic homo sit, minus apparet. Itaque

[1]) quatenus enim illa inscriptio Vercellensis hanc legem tangat, valde inter se dissentiunt docti (Schanz pp. 216—217). [2]) famosus enim erat carmine quodam spurco. (Val. Max. VIII 1,8)

Marxius (II pp. 325—326) de Scipione cogitare videtur, Cichorius sagacissime exposuit (quod quibus argumentis pp. 181—192 corroboraverit enumerare longum est) C. Sempronium Tuditanum potissimum intellegendum esse; cuius familiaritate quadam poetas usos esse vel inde sequitur, quod Hostius bellum eius Histricum carmine celebravit. Neque minus probabiliter, opinor, idem doctissimus etiam versus 1079—1087 M, quibus imperatorem quendam laudibus ornari certum est, ad eundem Sempronium rettulit (p. 184). Lucilius autem, cum huius viri ingenio poemata sua committeret recensenda, certe caritate cum eo coniunctus erat. Quae si ita se habebant, fieri poterat, ut Sempronius ab Lucilio quoque amico res a se gestas carmine efferri cuperet (cf. Cichorius p. 183), sicuti Ennius poeta, quomodo Ambracia anno 189 a Fulvio fautore capta esset, celebraverat. Ac primum poeta revera animum induxisse videtur, ut illius voluntati obsequeretur (v. 1079 M; Marx II p. 345); quam ad rem progressus perficiendam (vv. 1082—1083 M; Cichorius p. 184) nescio an brevi non eum, qui epicum carmen conderet, se esse intellexerit[1]. Quare Tuditano parvulum carmen dicavit, cuius reliquiae iam exstant in versibus 1079—1087 M (Cichorius p. 191); atque idcirco quoque ab opere recedere sibi licere arbitratus est, quod iam alius poeta gloriae Semproni extollendae operam navaret (v. 1084 M; Cichorius p. 185), qua clarae tantum chartae dignae essent (v. 1085 M)[2]. Si autem quaeremus, quis fuerit alius ille poeta, facere non poterimus, quin Hostium intellegamus, quem revera carmen de bello Histrico scripsisse acceperimus. — Quae omnia si recte a Cichorio enucleata sunt, haec concluduntur: Lucilius carmen epicum ipse condere noluit, cum animus in eiusmodi genus non inclinaret; Hostium autem epicum poetam permagni aestimavit, cum eum claras chartas scripturum esse confideret. Quomodo iudicare vix potuit, priusquam iam alia eius carmina novit; ergo versu 1085 M

'et virtute tua et claris conducere cartis'

laudavit omnia poemata usque ad annum 123 fere ab eo composita, quo haec satura scripta esse videtur (Cichorius pp. 191—192); neque vero hoc carmen iam ipsum versu 1085 praedicatur, cum hoc opus nondum ab Hostio perfectum esse ex praesentis forma 'locantur' (v. 1084 M.) cognoscatur. Recordati vero, quam raro Lucilius aequalibus poetis laudes attribuerit, hanc laudem eo maiorem esse facile con-

[1]) quod idem postea Horatium, Propertium, alios de se confessos esse bene exposuit Riednerus (l. s. pp. 24—30). [2]) hoc versu Cichorii coniectura maxime fulciri mihi videtur, cum Lucilius vix sua ipse carmina laudaverit. quamquam certi quicquam de ea re non affirmes.

cedemus. Eum autem epicam poesin nequaquam improbavisse appareat etiam ex hisce: Versibus XXVI 617 et 612 M:

'tuam probatam mi et spectatam maxume adulescentiam'
'veterem historiam inductus studio scribis ad amores tuos'

a Lucilio natu maiore adulescens quidam appellatur (Marx II p. 229 et 227), qui historiae veteri scribendae studet eo negotio iam tum occupatus[1]. Porro poeta in versu eiusdem libri 625 M:

'[si] tibi porro istaec res idcirco est cordi, quod rere utilem'

eum, quem adfatur, a re aliqua dehortari videtur, quam ille utilissimam esse putat. Verisimile autem est Suessanum poetam hoc versu redarguere adulescentem illum, qui se suo iure illud ipsum argumentum elegisse asseveraverat, quo ex temporum praesentium tempestatibus in tranquilla transferretur (Cichorius pp. 111—112). Unde poetam vetustissimam Romanorum historiam ineptam putavisse, quae tractaretur, concludi liceat; quomodo cur iudicaverit, Cichorius (pp. 112—113)[2] bene explicat, atque eum in hoc quoque offendisse addam, quod prisca tempora fabularum tenebris quasi obscurabantur; de portentis autem atque monstris agere ipse noluerat. Neque vero dehortatur tantum adulescentem, sed etiam suadet ei in versu 620 M:

'hunc laborem sumas, laudem qui tibi ac fructum ferat'[3],

ut in alio quodam labore ingenium exerceat, unde laudem ac fructum capiat. Ac praeterea coniectare quidem nobis licet, quale argumentum amico commendaverit; versu enim 621 M

'percrepa pugnam Popili, facta Corneli cane'[4])

admonetur aliquis, ut canat, quae nuperrime (in bello Numantino) gesta sint. At non modo argumentum aliud ei proponit, sed etiam aliam scribendi formam (Cichorius p. 114); cum enim ex verbo *scribis*[5] versus 612 illum adulescentem sermone pedestri usum esse apparere videatur, imperativo versus 621 *cane*, vinctum ut adhibeat, Lucilium optare perspicuum est. — Certe igitur amicum hortatur, ut epicum carmen componat, Ennium nominat alterum Homerum, Hosti chartas

[1]) quod ex verbo versus 612 'scribis' videmus. [2]) nolebat enim Lucilius hunc agrum ab annalium scriptoribus persaepe iam peraratum iterum arari. [3]) quem rectius iterum Cichorius (p. 113) explanavit Marxio (II p. 230). [4]) etiamsi enim eius sententia haud refellatur, qui Lucilium appellari existimet, ego Cichorio (pp. 31—32; 114) assentiar. [5]) quamquam certo ita in universum non concludi ultro confiteor, cum 'scribendo' etiam poetarum negotium designari ipse supra monuerim, hic tamen aliquid attribuas ei, quod opponitur 'canendo' contrarium, quod quin ad vinctum tantum sermonem pertineat nemo dubitet.

claras esse et fore praedicat; unde affatim efficitur, ut epici carminis generi satis faverit.

Simodo eum amico commendavisse, ut vinctam orationem prosae praeferret, recte coniecimus, eum opera illa, quibus historia Romana soluto sermone scribebatur, quamquam non contempsit, posthabuisse carmini epico manifestum sit; quod non miremur eum ipsum poetam fuisse meditati; certius autem quicquam de ea re ex fragmentis non cognoscitur.

Satis acribus verbis in oratores quosdam, qui tum erant, consuluisse videtur; velut in versu X 385 M

'inprobus, confidens, nequam, malus ⟨ut⟩ videatur'

describit, quomodo illi[1]) se gerant. Neque vero hunc oratorem idcirco increpat, quod inprobus, confidens etc. est, sed quod eiusmodi moribus esse videri vult; auram enim infimorum populi ordinum sibi conciliare studet, eum se eorum similem esse simulat[2]). Atque simile aliquid invenimus in versibus XXVI 603—604 M:

'si miserantur se ipsi, vide ne illorum causa superior
† e loco conlocavit',

quibus ei oratores vituperantur, qui iudices commiseratione movere conantur suis argumentis parum confisi. Quid? quod omnino eorum dicendi rationem vellicabat. Primum enim duobus locis iocose eos imitari videtur, cum in versu I 26 M.:

'vellem cumprimis, fieri si forte potisset'

deum eodem loco communi orationem facit incipientem, quo oratores solebant (Marx II pp. 14—15), et in versu VII 282 M.:

'dixi. ad principium venio . . .'

enuntiatum forense, quo orationis finem indicabant, lepide inserit saturae. Deinde eum orationem illam, quam Q. Metellus Macedonicus ei inimicissimus habuit de uxoribus ducendis (Gell. I 6; Cichorius p. 133 ann. 1), summo sale cavillatum esse mea quidem sententia verisimillimum est; neque enim minime fieri poterat, ut quod in versibus XXVI 678—679 M:

'homines ipsi hanc sibi molestiam ultro atque aerumnam offerunt
ducunt uxores, producunt, quibus haec faciant, liberos'

1) Buecheler: Rhein. Mus. 39, p. 288; Lucilium in libro decimo ipso oratores et poetas insectatum esse, scimus, quamvis tenues sint huius libri reliquiae, ex loco vitae Persii quodam (Jahn p. 238) et ex annotatione Porphyrionis ad Hor. sat. I 10, 53. 2) hunc versum ad aequalem spectare pro certo habere liceat; quod autem Cichorius (p. 298) Memmium intellegendum esse proponit, nimis debilis esse coniectura videtur.

matrimonium nominatur molestia, ea vox ex hac oratione ipsa per irrisionem sumeretur (Cichorius p. 134). At ne Licinium Crassum quidem, quo tum nemo erat clarior orator, laudat ludibrii verbis non additis. Versus enim X 386—387 M, qui persaepe tractati erant, bene a Cichorio (p. 300) ita restituti esse mihi videntur:

'horum est
iudicium — Crassis, ut dixi, scribimus, ante —
hoc est, quid sumam, quid non, in quoque locemus';

nam verbo 'crassis' tradito non necesse est confugiamus cum Buechelero (l. s. p. 288) ad vocem 'φράσις' aut cum Marxio (II p. 146) ad vocabulum 'κρίσις' substituendum; neque sto ab Leone (l. s. p. 850), qui 'crassis' vulgus et turbam crassam significari suspicetur, sed Crassos cum Cichorio eos accipiam, qui ingeniis valeant ad rationem scribendi recensendam. Quodsi Lucilius hos omnes nominat Crassos, Crassum ipsum iudicum quasi principem esse fatetur; quod hunc illi non concessurum fuisse per se constat, nisi ipse in orationibus bona dicendi ratione usus esset; hic Crassus enim quin nemo alius fuerit nisi Licinius ipse, non est dubium[1]). Neque vero facere potest poeta, quin Crassum quoque reprehensione aliqua perstringat; cum enim in versu II 86 M:

'Crassum habeo generum, ne rhetoricoterus tu seis'

quasi ῥητορικώτατον eum appellat[2]), illudere ei videtur, quod nimiam diligentiam collocandis verbis et orationi perpoliendae impertiat. Eodem autem loco Ciceronis traduntur versus II 84—85

'quam lepide lexis compostae ut tesserulae omnes
arte pavimento atque emblemate vermiculato',

quibus Scaevola vel Lucilius ipse in Albuci orationem diligenter elucubratam verborumque collocationem pueriliter numerosam iocatur et vocabula artificiose composita lepide comparat cum tesserulis artificum musivariorum qui dicuntur (Marx II p. 39). Iterum igitur Lucilius impugnat ampullas oratorum atque ineptias; unde per se sequitur, ut etiam rhetoricas, quas vocamus, figuras ineptas esse duceret, quae quidem cumulate aut locis parum idoneis ponerentur. Ut in versibus I 33—35 M:

1) hos versus ad verba eligenda potius et aptis locis collocanda cum Buechelero et Cichorio referam quam cum Marxio ad materias poesi tractandas. 2) etsi Scaevola, Crassi socer, haec verba dixisse a Cicerone dicitur (de or. III 43, 171), Lucili sententiam eandem fuisse atque Scaevolae aperte ex hoc eodem loco apparet.

'si me nescire hoc nescis quod quaerere dico,
quare divinas quicquam? an tu qua⟨ere⟩re debes
ipse? et si scis q⟨uod⟩ b⟨ellum⟩ e⟨st⟩ scire, hoc d⟨are⟩ t⟨empta⟩'

deum fingit imitantem tale enthymema (Marx II p. 18), qualia ambagium plenissima oratores tum usurpabant, nec minus irridet versu 1224 M

'non tango, quod avarus homo est, quodque improbus, mitto'

oratorem quendam, qui antiphrasis figura ridiculum in modum utebatur; cuius versus tumor satis manifestus est ex eo, quod verba 'non tango' statim subsequitur synonymum 'mitto'. Porro conicere quidem nobis licet poetam etiam Scipionis sibi amicissimi in dicendo artem perstrinxisse; secundum enim fragmentum 1133 M declarasse videtur, quid climax esset; cum autem ex exemplis ab Isidoro collatis Scipionem ipsum gradationem in deliciis habuisse satis appareat, non nimis temere cum Marxio (II p. 359) opinemur Lucilium hac definitione ei illudere voluisse, quod crebrius aequo hac figura uteretur. Ceterum ne de grammaticis quidem rebus cum eo consentiebat. Velut Scipionem vellicat in versibus XXVI—XXIX 963—964 M:

'quo facetior videare et scire plus quam ceteri,
pertisum hominum, non pertaesum, dicere humanum genus'

quod non 'pertaesum', sed analogiae leges secutus 'pertisum' dicat, ut se doctiorem ceteris praestet; neque alia quaedam amici praecepta grammatica haud scio an non probaverit, cum adhiberet et formam 'vorsum' et formam 'versum' (Marx II p. 291), quarum hanc a Scipione solam rectam esse ductam atque introductam esse Quintilianus (I 7, 25) narrat, itemque in versu VIII 315 'vortice' scripsisse videtur neque vero, quod Scipio voluit, 'vertice'. Ceterum probabile est Cornelium non modo his cavillationibus respondisse, quippe cui ironiam Socraticam innatam fuisse Fannius narraverit (Cic. ac. prior. II 5, 15), sed omnino saepius eum, ut erat 'ingenii et studiorum eminentissimus saeculi sui' (Vell. Pat. I 12, 3), cum amicis litteratisque (de quibus disseruit Besançonius l. s. pp. 162—163) collocutum de poetis atque scriptoribus iudicavisse, tametsi nullum eiusmodi iudicium equidem usquam inveni. Sed revertamur ad oratorum figuras! Quamvis enim Lucilius omnia putida et quaesita aspernatus sit, tamen erret, qui eum omnino haec artificia sprevisse opinetur; ut ipse homoioteleuton adhibet et defendit ab amico, qui figuras Isocratias indignas esse autumaverat, quae politae scribendi rationi admitterentur. Versibus enim V 184—188 M:

'ut per⟨i⟩isse velis, quem visere nolueris, cum
debueris. Hoc 'nolueris' et 'debueris' te

si minus delectat, quod atechnon et Eissocratium hoc
lerodesque simul totum ac si miraciodes,
non operam perdo, si tu hic',

qui ex epistula amico illi missa sumpti esse videntur, usurpat 'noluerisdebueris' id quasi garrulum atque pucrile ab eo improbatum iri non ignorans[1]). Sed obiecerit fortasse quispiam poetam consulto hanc figuram in litteris posuisse, ut amico stomachum moveret; accedit, quod Gellius (XVIII 8, 1) his verbis facetissime eum significasse putavit, quam insubida et inertia et puerilia essent homoioteleuta ceteraque huiusmodi scitamenta ab Isocratiis adhibita. Hic autem Gellio fidem non esse habendam Leo (l. s. pp. 845—846) edocuisse videtur, quamquam expresse id ipsum non dixit; adiectivum 'atechnon' enim non 'quod casu in buccam venit'[2]), sed 'quod praeter artem effectum est' significari atque illum amicum pripateticorum praecepta probasse explanabat, quibus figurae Gorgianae in litteris adhiberi vetitae erant. Quoniam vero in verbis epistulae ipsius nihil invenitur, unde Lucilium item de homoioteleutis sensisse atque amicum concludatur, Gellium haec poetae verba parum intellexisse opinatum enuntiato 'quod atechnon etc.' eius quoque sententiam simul explicari si quis dicat, haud multo recedat a vero. Quamquam si Hertzii (vol. II p. 384) et Hosii (p. 246) lectionem acciperemus, quorum uterque scripsit: 'quod . . . *est*', poetae ipsius sententia cognosceretur; sed rectius Marxius versum valde corruptum ita correxisse videtur: 'quod . . Eissocratium *hoc*, lerodesque . . .'[3]). Memoria denique dignum sit Havetum (cf. app. crit. Hosii) non 'quod . . . *est*', sed 'quod . . . *sit*' supplevisse aperte ratum amici tantum opinionem hoc enuntiato reddi; quod idem putavit Marxius (II p. 79). Neque vero per se veri simile est Lucilium homoeoteleuti figura uti noluisse; annotem enim eam ipsam legi in versu XI 419 M.: form*osus*-fam*osus*, quae consilio atque arte usurpata est, cum ceteris omnibus locis inveniamus formam, form*onsus* (Marx I p. 119; II p. 157). Utrum autem statuere malumus poetam parum sibi constitisse, cum homoioteleuton modo adhiberet modo improbaret, an Gellium erravisse? Ego quidem hoc alterum eligam. — Atque ut de Graecorum figuris rhetoricis, sic etiam de verbis eorum utendis certi aliquid et iudicabat et pronuntiabat. Verisimile enim est versibus I 15—16 M

'porro 'clinopodas' 'lychnos'que ut diximus semnos
ante 'pedes lecti' atque 'lucernas' — ◡ ◡ — ◡'

1) negat autem se eius gratia verba mutaturum esse, cum ille sui morbo implicati rationem non habuerit. 2) perperam, opinor, Marxius (II p. 79) haec verba 'quod atechnon', quae ex Scaligeri coniectura 'τεχνίον' recte restituit, in parenthesi collocanda esse putarat. 3) quod Leo quoque probavit.

deum aliquem conqueri, quod illa aetate Graeca vocabula adhibeantur ad ea designanda, quibus priscis Romanorum temporibus Romana nomina indita sint. Facete autem poeta hunc deum, dum veterum vocabulorum σεμνότητα fingit laudantem, ipsum Graeco vocabulo utentem facit parum sibi constanter (Marx II p. 10). Quomodo se non stare ab iis, qui purum sermonem prorsus tutandum esse censerent, perspicue demonstrabat; revera enim saepissime in saturis Graeca vocabula leguntur (Marx I pp. 156—158; Leo L. G. pp. 427—428), neque nimium fortasse coniecerimus poetam hac dei irrisione adversarium simul aliquem tangere, qui eum quod Latina verba Graecis adeo commiscuisset reprehenderat [1]); siquidem autem recte hoc coniectavimus, Lucilius his versibus immerito se vituperatum esse adversario obiecit, cum iis quoque, qui verbum Graecum fugerent ut scopulum, invitis Graeca in buccas venirent, atque iterum eos quasi ipsorum armis impugnavit sicuti tragicos tumido vocabulo ad eorum exempla efficto; quamquam igitur ignoramus, quis hic adversarius fuerit, certe Suessanus poeta una cum eo omnes Graecae linguae putide infestos irrisit (Cichorius p. 227). Atqui ita ut crebriorem figurarum oratoriarum usum improbat, minime, quamvis multa ipse usurpet vocabula Graeca, iis assentatur, qui hellenismum quem nos dicimus tanti aestimant, ut Graecos quam Romanos se vocari malint. Illudit enim in versibus II 84—85 M:

'quam lepide lexis compostae ut tesserulae omnes
arte pavimento atque emblemate vermiculato',

quos iam supra commemoravimus, Albucio quasi homini Graeco, cum Graecorum grammaticorum vocabulum 'λέξις' ponit, nec minus versibus II 88—94 M:

'Graecum te, Albuci, quam Romanum atque Sabinum,
municipem Ponti, Tritani, centurionum,
praeclarorum hominum ac primorum signiferumque,
maluisti dici. Graece ergo praetor Athenis,
id quod maluisti, te, cum ad me accedis, saluto:
'chaere, inquam, Tite'. lictores, turma omnis chorusque
'chaere, Tite'. hinc hostis mi Albucius, hinc inimicus'

iterum per Scaevolam multa venustate et omni sale eum perstringit [2]). Praeterea autem fragmentum 1322 M commemorandum est, quo poetam Vettio cuidam illusisse comperimus, quod Tusca, Sabina, Prae-

[1]) recordemur libros XXVI—XXX editos esse, antequam liber I compositus est; quo spatio facile fieri poterat, ut Lucilius sic vituperaretur ut revera vituperatus est ab Horatio (sat. I 10, 20). [2]) conferas etiam, quae Besançonius (l. s. pp. 164—165) exposuerit.

nestina vocabula in sermonem persaepe insereret; ac Marxius (II pp. 424—425) de Vettio Philocomo, amico Lucili et grammatico, cogitavit, sed Cichorius (pp. 348—349) rectius suspicari videtur C. Gracchi amicum quendam intellegendum esse, qui in orationibus aures eorum, qui audiebant, impuro sermone laeserit. Cum autem poeta praeter Graeca ne alia quidem vocabula peregrina spreverit (Marx I p. 159), Vetti sermonem adeo iis refertum fuisse, ut ab urbano alienus aliquantum rusticitatis redoleret, equidem coniectaverim; quam coniecturam eo confirmari puto, quod Lucilius ita Vettium insectatus esse traditur (Quintil. I 5, 56), ut Pollio in Livio Patavinitatem reprehendisset. — Iterum igitur poetam mediocritatem quandam servare apparet, cum vocabula peregrina, quamquam satis multa ipse usurpet, non tam crebro adhibenda esse putet, ut Latina iis quasi obruantur; neque neglegendum est et Albucium et Vettium, quibus hoc ipsum vitio vertitur, oratores in publicum prodisse videri. Oratores autem non minus ab eo perstrictos esse haud scio an exposuerim quam tragicos, quorum utrosque turgidis et inusitatis verbis rationes scribendi vel dicendi exornari perperam opinari demonstrare conabatur; cum vero saepissime ea, quibus simplicem et sincerum stilum corrumpi arbitrabatur, reprehenderet, Plinius (n. h. praef. § 8) non immerito iudicavit 'Lucilium primum stili nasum condidisse'.

Obiter tandem commemoremus etiam philosophos a Lucilio vellicatos esse. Similiter enim atque oratores perstringit sophistas, quod nugis vera obscurent; velut iam Scaliger versibus 1284—1286 M:

'quis hunc currere ecum nos atque equitare videmus,
his equitat curritque. oculis equitare videmus:
ergo oculis equitat'

eorum argutias impugnari recte monuit, quibus quomodo ad falsas conclusiones perducamur, perbene a poeta instituimur. Neque minus in stoicos illudebat, cum versibus 1225—1226 M:

'— ◡◡ — ◡◡ nondum etiam ⟨hic⟩ haec omnia habebit,
formonsus dives liber rex solus ut extet'

irrideret paradoxon illud, quo sapientem hominem omnes res, etiamsi earum peritiam usu non sibi peperisset, ex sapientia ipsa melius exercere quam insipientem autumabant; siquidem vero etiam versus XXVIII 747 M. ad hoc paradoxon pertineat, Lucilius stoicum quendam dicaciter dixit sollertissimum sartorem pariter atque Horatius (sat. I 3, 125) bonum sutorem (Cichorius p. 150). — Ergo a philosophis, quamvis pauca de iis iudicia habeamus, aperte flagitat, ne res argutiis atque ambagibus

Lucilius iudicavit in libris:	XXVI	XXVIII	XXIX	XXX	XXVI—XXX
a) de tragicis	α) Accius v. 587: irridetur, quod monstra atque portenta tragoediis describat v. 608: carpitur, quod verbis tumidis utatur; eidem obtrectatur v. 653: quasi amenti (?) vv. 628—630: cui quam dissimillimus fieri vult Lucilius vv. 649—650: eidem, quod sibi maledictum esset, conquesto respondetur β) Pacuvius v. 597: ob tumorem carpitur	Accius v. 794: roditur, quod summus poeta esse sibi videatur, cum minimo revera ingenio sit	α) Pacuvius v. 875: exordia eius contorta nominantur β) Ennius vv. 870—871: anapaesti ex tragoediis eius sumpti per iocum hexametrorum (sc. malorum) loco usurpantur v. 872: tumor eius carpitur	Accius v. 1028: item atque versu 794 irridetur v. 1031: eius in Lucilium impetus propulsatur	—
b) de comicis	—	—	Statius Caecilius vv. 879—894: supersunt fortasse ex satura, cuius exemplum 'Hymnis' comoedia erat	Afranius vv. 1014—1017; 1019—1021; 1026—1027; 1030—1038: reliqui sunt ex altercatione in eum versa; furti enim arguebatur a Lucilio	—
c) de epicis	vv. 612, 617, 620, 621, 625: adulescens quidam monetur, ut bellum Numantinum epico carmine 'canat'	—	—	Hostius v. 1085: eum claras chartas scripturum esse confidit Lucilius vv. 1079—1087: reliqui sunt ex carmine epico, quod Lucilius ipse composuerat	—
d) de oratoribus	Metellus Macedonicus vv. 678—679: eius de ducendis uxoribus oratio illuditur	—	—	—	Scipio vv. 963—964: eius de elocutione praecepta quaedam irridentur
e) de sua poesi	vv. 588—589: se tragicorum consuetudine plausum populi capere nolle profitetur v. 592: se neque ab eruditissimo neque a rudissimo quoque legi velle dixit v. 622: se eum, qui epicum carmen condat, esse negat	—	—	v. 1013: sua poemata ex multis sola ferri gloriatur	—

Lucilius iudicavit in libris:	I	II	III	V	IX	X
a) de tragicis	—	—	Porph. ad Hor. serm. I 10, 53: 'nil comis tragici mutat Lucilius Acci?': facit autem haec Lucilius cum alias tum vel maxime in tertio libro: meminit VIIII et X cf. Gellius XVII 21,49: subinde et Pacuvius et Pacuvio iam sene Accius clariorque tunc in poematis eorum obtrectandis Lucilius fuit	Pacuvius v. 212: sesquipedalium verborum usus illuditur	Accius Porph. l. s. (vv. 352—357: grammatica eius praecepta impugnantur)	Porph. l. s.
b) de comicis	—	—	—	—	—	—
c) de epicis	—	—	—	—	Ennius vv. 342—343: Annales digni habentur, qui cum Iliade Homeri componantur	—
d) de oratoribus	vv. 15—16: qui Graeca vocabula usurpari vetant, illuduntur vv. 33—35: enthymemata tumida perstringuntur	α) Crassus v. 86: vellicatur, quod quasi ῥητορικώτατος sit β) Albucius vv. 84—85, 88—94 irridetur, quod Graeculum se praebet	—	vv. 184—188: amicus quidam illuditur, qui Isocratias figuras adhiberi omnino non vult	—	Crassus vv. 386—387: elegantiae quasi arbiter laudatur v. 385: increpatur quidam, quod auram popularem captet
e) de sua poesi	—	—	—	—	—	—

detorqueant, et ne summam quidem scientiam ei quicquam prodesse affirmat, quem usus deficiat.

De sua denique ad poesim indole perpaucis fragmentorum locis iudicasse videtur. Neque omnino omnibus placere se in animo habere dixit; poemata enim legi volebat neque a doctissimis, ut a C. Persio vel a P. Scipione, neque a vulgo, sed ab iis, qui litteris satis eruditi neque in his neque in illis numerandi essent: v. XXVI 593 M:

'Persium non curo legere, Laelium Decumum volo';

nequaquam autem eodem modo comprobationem populi ut sibi pariat atque tragici, se optare dicit versibus XXVI 588—589 M[1]):

'nunc itidem populo ⟨placere nolo⟩ his cum scriptoribus:
voluimus capere animum illorum.'

Quodsi vel inde, quod saturas doctissimorum virorum arbitrium subire nolebat, aliqua modestia cognoscitur, etiam maior ex eo apparet, quod non eum, qui carmen epicum conderet, se esse intellecto versu XXVI 622 M:

'ego si, qui sum et quo folliculo nunc sum indutus, non queo'

se natura impediri verecunde professus est, ne huic poesis generi se dederet (Marx II p. 230; Cichorius p. 115); vane igitur Petermannus (Jahns Jahrb. 39 p. 165) opinatus est eum Scipiade quadam vitam Corneli privatam descripsisse[2]). Attamen quamvis modestum se esse ita simularet, minime gloriae incupidus erat; versu enim XXX 1013 M:

'et sola ex multis nunc nostra poemata ferri'

non sine aliqua superbia atque laude praedicavit brevissime se aliis praestitisse gloria.

Tot de litteris iudicia quoniam traduntur, meditari haud scio an non inutile sit, quonam modo in singulos saturarum libros distribuendi sint: atque hac tabula, ex qua ordinem neminem non cogniturum esse spero, ea componere malui quam singula copiosis verbis circumscribere. Nonnulla tamen huc quoque addenda sunt; primo enim obtutu perspicias libris XXVI—XXX plurima eorum contineri; atque quamquam omnino horum plurimos versus servari, quippe quibus a Marxio quingenti adsignentur, non obliviscendum est, mea quidem sententia non casu tan-

[1]) lectioni enim a Marxio propositae assentiendum esse puto, cuius coniectura quamquam tradita verba paulo magis mutantur quam Leonis (l. s. p. 853) optimum tamen sensum habere videtur, cum illam multo minus ad conexum sententiarum quadrare existimem. [2]) quam coniecturam iam recte reppulit Knoblochius. (Das röm. Lehrgedicht etc., Progr. Roßleben 1881 p. 14.)

tum accidit, ut ei ipsi litterarum aestimatione praeter ceteros referti fuisse videantur. Namque per se consentaneum est Lucilium tum acerrime adversarios insectatum esse, cum gloriam iis erepturus, sibi conciliaturus esset, neque scio an Cichorius primas saturas, quas a veteribus saepius aliis lectitatas esse constat, omnium quasi vividissimas atque fervidissimas fuisse recte dixerit (p. 68). Attamen postea quoque critici officium exsequebatur; quod cum ex tabula nostra, tum ex Porphyrionis annotatione quadam (ad Hor. serm. I 10, 53) cognoscitur; dicit enim scholiasta: 'nil comis tragici mutat Lucilius Acci': facit autem haec Lucilius cum alias, tum vel maxime in tertio libro: meminit VIIII et X'. Cum vero in noni libri fragmentis quibusdam Accius revera petatur, quamquam non tragoediae eius, sed grammatica praecepta carpuntur, non mediocri afficimur admiratione, quod neque in reliquiis decimi libri, quo meminisse quidem Acci Suessanus poeta dicatur a Porphyrione, neque in versibus tertii libri servatis satis multis, utpote in quo maxime eum perstrinxisse feratur, tragicus poeta ullo versu tangitur. Itaque non absurde Muenzerus (Neue Jahrb. 23 [1909] p. 187 ann. 1) tertium numerum qui traditur in suspicionem vocavit, cui XXVIII potius substituendum esse censuit, sive quod XXV ante III excidisset, sive quod tertium prioris saturarum corporis librum Porphyrio designavisset; ac profecto libro XXVIII ipso Accio maledici vidimus. Sed quamvis lepide hoc coniecerit, eum sequi verear, dum firmiora attulerit argumenta; ergo nobis forte accidisse arbitrandum est, ut nihil tertii libri, qui nunc est, ad Accium referri possit. — Quod porro ultra librum X nullus fere versus a nobis tractandus erat, minime sequitur, ut Lucilius ex illo tempore crisin exercitare desierit, sed hoc quoque casui tribuendum est, praesertim cum quindecim ex his libris ducenti fere tantum versus relinquantur; nonne etiam horum saturis quidam ex illis versibus contineri potuerunt, quos supra tractatos, cum incertae sedis essent, tabula nostra recipere noluimus? Ergo, ut verbo comprehendamus, verisimillimum est Lucilium, quamdiu saturas scriberet, litterarum iudicem se praebuisse.

In fine paragraphi priusquam quae exposuerim breviter complectar, pauca praemittenda sunt. Quod enim toto fere opusculo in coniecturis plerumque niti cogor, firmis argumentis cum caream, hic quemquam, qui Lucili saturis admodum male traditis operam navaverit, hanc adversam fortunam fugere posse prorsus negarim. Veluti etiam Marxio et Cichorio, quippe qui de saturis explanandis optime mererentur, saepius atque iterum ad coniecturas confugiendum erat; neque tamen raro iis ipsis nixi probaverunt atque illustraverunt, quomodo singuli versus inter se cohaereant. Atque hoc quoque difficultates augentur, quod

poeta nullis fere locis, quos nos quidem habemus, nomina aequalium destrictorum praebet; ut ne Acci quidem nomen plus semel invenitur. — Quibus praemonitis haec statuere mihi liceat:

Lucilius adversariorum, quos multos habebat homines litteratos, acerrime tragicos adoriebatur atque in primis Accium petebat, qui sibi maledici indignatus ipse quoque illum impugnabat. Ac revera tragoediarum argumenta tantopere differebant a novo saturarum genere, ut poetae facere non possent, quin inter se rixarentur, praesertim cum etiam variis scribendi rationibus uterentur. Itaque Lucilius permultis locis tumorem tragicorum et ampullas irridebat, illi autem et stilum saturarum et argumenta nominabant ignobilia atque arte poetica indigna. Quodsi hae controversiae acerbissimae invidiae non erant expertes, neutri adversariorum nimio vitio vertamus, cum tragici gloriam illuc usque partam defenderint, Lucilius autem saturis novissimis ad laudem nisus sit; tametsi enim plausum populi nequaquam se desiderare simulat, tamen ipse gloriatur 'sua poemata sola ex multis ferri'. Contra comoediarum nihil reprendisse videtur; immo haud scio an Stati Caecili Hymnidem satura quadam imitatus sit, et multos earum versus in poemata sua recipiebat, quae cum iis similitudine conexae erant; neque tamen carmina sua ab Afranio togatarum poeta quasi expilari sivit. Quod denique lex Tappula Valeri Valentini, utpote quae item similior esset saturae, a saturarum poeta non probata esse videtur, in rusticitate facetiarum atque obscenitate eum offendisse nescio an recte coniecerimus. Porro epicis carminibus favebat, cum Ennium nominaret alterum Homerum et Hostium laudaret et amico cuidam adulescenti suaderet, ut eiusmodi poema conderet; quamquam se ipsum, qui huic poesis generi studeret, idoneum esse negabat; etsi autem Ennio tam clarum nomen attribuebat, versus et tragoediarum et Annalium gravitate minores ridere non timebat. Atque ut tragicorum tumorem cavillabatur, sic oratores quoque aequales persaepe ob rationem dicendi artificiosam vituperabat; oderat enim ineptias, quae figuris minutius excogitatis et diligentiore verborum collocatione ex oratione faciebant quasi opus musivum; attamen iis minime assentiebatur, qui tales figuras adhiberi omnino vetabant. Philosophorum reprehendebat sophistas, quod argutiis absurdis res depravarent, et illudebat stoicos, quod rationem tanti aestimarent, ut usu sibi non opus esse opinarentur. Quod denique attinet ad grammaticum Lucilium, iterum Accium aggrediebatur, cuius de vocalibus geminandis praecepta improbabat. — De omnibus igitur fere litterarum generibus iudicia Lucilius edidit; quodsi artem criticam ita exercebat, id praecipue studebat, ut saturis suis auctoritatem pararet et impetus adversariorum ab iis defenderet; ergo nativam potius

crisin eius nomines quam doctam. — Sed ex paucis fragmentis illis, quae iam servantur, adumbratio tantum tenuissima effici potest, atque nos, totas si haberemus saturas, multo accuratius cognituros esse certum est, quomodo litterarum studia a Romanis illa aetate agitarentur. Itaque non modo rerum, sed etiam litterarum Romanarum scriptoribus valde dolendum est, quod Lucili carmina plane fere perierunt.

§ 8. De togatarum poetis.

Quoniam modo saturas neque argumento neque stilo comoediis dispares fuisse contendimus, nunc inquirere aequum est, num quid earum poetae Lucilio aequales fere de aliorum studiis iudicaverint; cum enim ex prologis Terentianis manifestissime videamus duas palliatarum poetarum tamquam factiones inter se altercari, hoc genus tum iam viguisse atque floruisse apparet; brevi autem post mortem Terenti auctoritatem amisit, cum poetae qui ei se darent idonei deessent. Cuius rei documentum gravissimum suppetunt Plaut. Cas. vv. 5—20:

'Qui utuntur vino vetere sapientis puto
Et qui lubenter veteres spectant fabulas.
Antiqua | opera et verba quom vobis placent,
Aequomst placere ante ⟨alias⟩ veteres fabulas:
Nam nunc novae quae prodeunt comoediae
Multo sunt nequiores quam nummi novi.
Nos postquam populi rumore intelleximus
Studiose expetere vos Plautinas fabulas,
Antiquam | eius edimus comoediam,
Quam vos probastis qui estis in senioribus:
Nam iuniorum qui sunt, non norunt, scio,
Verum ut cognoscant dabimus operam sedulo.
Haec quom primum actast, vicit omnis fabulas.
Ea tempestate flos poetarum fuit,
Qui nunc abierunt hinc in communem locum:
Sed tamen absentes prosunt ⟨pro⟩ praesentibus',

quos nonnullis decenniis, postquam Plautus in communem locum abisset, neque multo post obitum Terenti interpositos esse sagacissime exposuit Ritschelius (Parerg. pp. 180—201; cf. Dziatzko: l. s. pp. 31—34; Skutsch: Rh. Mus. 55 p. 272). Unde elucet novas quae tum prodibant comoedias palliatas non eas fuisse, quae populi plausu ornarentur: quid? quod non pluris quam nummi novi i. e. nihili fere esse a prologo facete dicuntur. Quae cum ita essent, alterius cuiusdam generis poetis

occasiones amplissimae dabantur aurae popularis captandae, togatarum nimirum fabularum. Quibus primus, quantum scimus, Titinius studuisse videtur, quem post Caecilium et ante Terentium floruisse Neukirchius (de fab. tog. Rom. Lips. 1833, p. 100) coniecit; at ego quidem Courbaudo (de com. tog. Paris 1899 p. 30), qui eum inter Caecilium et Terentium natum, sed hoc altero mortuo demum scribere coepisse suspicatus est, ob id ipsum assentiri malim, quia auctoritatem eum adeptum esse vix putes antequam palliatae comoediae eam amissurae fuerunt; Terentio autem vivo iam florebant. Quamquam non certo ita concludi infitias non eam, neque fieri non potuit, ut Titinius illo iam superstite togatas doceret eiusque aemulus exsisteret. Quod enim Schanzius (p. 192) arbitratus est Afrum hoc novum genus prologis commemoraturum fuisse, simodo novisset, ne nimium huic conclusioni ex silentio ductae attribuamus, cum hoc tantum inde colligi liceat eum a Titinio non petitum esse; etenim quamvis recte doctissimus ille dixerit Terenti prologis tam abunde litterarum studia aequalium attingi, totam fere poetae crisin in contentione cum Luscio habita positam esse et Afrum lacessitum demum respondisse non satis meminisse videtur. Quae utut se habent, floruisse quidem Titinium post mortem Terenti probabile est. Et pariter atque Terentius non perstringit togatarum poetam, hic illum in fragmentis non cavillatur, quorum omnino nusquam ullum de aliis iudicium equidem inveni. Atqui non dubium est, quin consulto a ratione Afri atque stilo abhorruerit, qui 'non urbanis iocis uteretur, sed illepidos sales et convicia et verba parum delicata et quidquid rusticius erat fundere non dubitaret' (Courbaud l. s. p. 31; Neukirch l. s. p. 101). Num autem unquam prologis fortasse exposuerit, quibus rebus suae fabulae ab illo discreparent, prorsum in obscuro relinquitur; quod simodo indicavit, Afro mollitiam quandam scribendi atque molestiam vitio eum vertisse suspiceris. Quod autem nescimus, num unquam de palliatarum poetis iudicaverit, nihilo magis perspicimus, num eos, qui item in novo dramaticae artis genere versabantur, carpserit, praesertim cum non constet, utrum T. Quinctius Atta et L. Afranius illius aetate togatas iam composuerint necne. Quorum de illo adeo exigua accepimus, ut plane a nobis praetereundus sit; multo vero prosperiore fortuna utemur nunc de L. Afranio disputaturi, praestantissimo ac fecundissimo omnium facile togatarum scriptorum poeta.

Supra vidimus vel videre nobis visi sumus eum et ab Accio et ab Lucilio vituperatum esse; quorum ille eum reprendebat, quod argumenta humilia tractaret, hic castigabat, quod alios poetas expilasset. Neque vero Suessanus poeta solus furti eum arguisse videtur, simodo hoc colligere licet ex Macrobii verbis (Sat. VI 1, 4): 'Afranius (enim) to-

gatarum scriptor in ea togata, quae Compitalia inscribitur, non inverecunde respondens arguentibus, quod plura sumpsisset a Menandro: fateor, inquit,

> '
> sumpsi non ab illo modo,
> sed ut quisque habuit conveniret quod mihi
> quod me non posse melius facere credidi,
> etiam a Latino.'

Quos versus prologo Compitaliorum attribuendos esse item ac versus 29 et 30 R iam Neukirchius recte monuit (l. s. pp. 184—185), et mea quidem sententia etiam fragmentum 271 R ex prologo aliquo superest. Quod autem a Menandro se quaedam mutuatum esse affirmat, prorsus ei credimus, cum in universum illum sibi proposuerit ad imitandum; veluti titulos multos eligebat Menandreos (Marx RE I p. 709). At nos quidem multo magis iuvet comperire, quinam Latini fuerint, e quibus item se nonnulla dempsisse poeta concessit; quod accuratius nondum, ni fallor, adhuc explanatum esse cum vidissem, me hunc laborem subire operae pretium esse duxi; unde si Afranium imprimis ex hoc vel illo plurima hausisse pateret, hunc vel illum magni ab eo aestimatum esse simul concludere potuimus. Atqui — quod statim praemoneam — exilissimos tantum fructus ex hoc negotio percepi, cum perpaucis locis aliorum vestigia ab Afranio expressa esse affirmare audeam; cuiusmodi quaestioni summam cautionem adhibendam esse consentaneum est, cum similitudines quorundam locorum persaepe et ex re simili et ex vulgari sermone efficiantur, neque vero a poeta ex exemplari aliquo in suas togatas eos translatos esse còntendas; quorum duo quidem ut afferantur, in Plaut. Bacch. v. 693 et in Afr. v. 169 R simillima verba ('fabricare, finge, quod lubet' ∾ 'finge fabricare ut libet') non minus quam in Ter. Phorm. 947 et in Afr. v. 173 R ('argentum condonamus **te**': 'id aurum **me**[1]) condonat') inveniuntur, neque tamen Afranio, cum suos scriberet versus, illorum in mentem venisse equidem conicere ausim; alios autem eiusmodi locos, quos facile inveneram non paucos, me omisisse libenter mihi largiaris. Ac quamvis me tam cautum fuisse sperem, minime infitior de iis quoque locis, quos modo allaturus sum, interdum non defuturos esse, qui dubitent. Haec autem quae commemorarentur digna esse putavi: Initium si a togatarum scriptoribus ipsis facimus, T. Quinctius Atta, de quo parum sciamus, iterum omittendus est; Titinium studiosae imitationi fuisse Afranio vero admodum dispar est, cum hic ab illo 'plebeio poeta' (Courbaud l. s. p. 31) satis

[1]) duplices quos vocamus accusativi ex hoc verbo his tantum locis dependent (Thes. l. l. IV 156).

discessisse videatur, vel, ut Courbaudi aptissimis verbis utar, 'in togatis inter Titinium et Afranium idem interfuerit, quod in palliatis inter Plautum Terentiumque'. Porro quaerentibus, quid de palliatarum poetis Terentio, Statio Caecilio, Plauto senserit, testimonium nobis occurrit versus 29 R[1]):

'"Terenti numne similem dicent quempiam?',

qui quonam conexu olim cum aliis coniunctus fuerit enucleandum est: ac iam supra commemoravimus Compitaliorum prologo eum assignandum esse, qui idem quin versus 26—28 R amplexus sit non dubito; nonne igitur probabile est Terentium unum ex illis 'Latinis' nominatum esse, quem cum praeter ceteros arte floreret suo iure se imitari Afranius asseveraret? Quamquam ne Neukirchii (l. s. p. 185) quidem sententiam mihi displicuisse confiteor, qui eum hoc prologo, ut imitationem suam excusaret, usum esse censeret Terentio auctore, qui quamvis ipse alios imitatus esset, tamen summus exstitisset. Quarum coniecturarum utra rectior sit, etsi vix eruatur, utique ut Suetonius (vit. Ter. p. 8 W) sic nos Terentio omnes comicos ab Afranio postpositos esse ex hoc versu intellegimus. Quam laudem auxerit, si etiam versu 30 R: '. . . ut quicquid loquitur, sal merum est!' ad Afrum spectarit, sed cum Neukirchio (l. s. p. 185) in dubio relinquere malimus, utrum ad Terentium an ad Menandrum haec laus referenda sit, quam cum Courbaudo (l. s. p. 38) facere illud satis certo affirmante. Quod dein attinet ad Statium Caecilium, eum quoque in illis 'Latinis' fuisse coniectemus, quippe qui aeque atque Afranius ipse Menandrum permagni aestimaret et sectaretur; spe autem labetur, si quis quibusdam locis eiusmodi similitudines iam recognosci confidet[2].

Plautus denique in universum certe 'agrestior in loquendo, petulantior in ridendo' (Courbaud l. s. p. 38) erat, quam ut Afranio placeret; attamen ab eo singula mutuatus esse videtur; quod enim in Plaut. Stich. v. 276 (itaque o n u s t u m p e c t u s porto l a e t i t i a . .) et in Afr. v. 16 (. . . . postquam p e c t u s est l a e t i t i a o n u s t u m) neque vero alio loco — Forcellinio utor auctore — oxymoron 'pectus laetitia onustum' legitur, satis certo colligere mihi videor a Plauto illud inventum, ab Afranio receptum esse. — Ut ad hos palliatarum quasi triarios quartum addamus Turpilium, annotem quidem in huius v. 104 et in Afr. v. 250

1) quem ex margine in textum irrepsisse Nipperdeius (opusc. p. 588) iniuria coniectavit. 2) neque enim quisquam harioletur Afr. v. 316 (nunc se o b s e q u e n t e m atque h i l a r e dixi praebeat) effictum esse ad exemplum Caec. v. 108 (modo fit o b s e q u e n s h i l a r u s comis) ipsum aut Afr. v. 63 (. . a e t a s i n t e g r a est . . .) ad exemplum Caec. v. 153 (quis vostrarum fuit i n t e g r a a e t a t u l a).

vocem 'cariei' per metonymiam de senibus usurpari, quae alio loco non invenitur (Thes. l. l. III 456) nisi in Priapeorum versu quodam; sane num hoc quoque Afranius ex illo 'sumpserit', alii diiudicent. — Ad tragicos progressi primum quaeramus, num quae ex Accio aequali compilaverit: cuiusmodi nihil[1]) recognoscimus, atque Afranium nihil ei debere voluisse, qui — simodo recte id supra explanavimus — se totum togatarum genus contemnere palam pronuntiaverat, haud difficulter tibi persuadeas; cuius impetui num repugnaverit, equidem nescio. Alius autem aequalis tragicus numero 'Latinorum' illorum ascribendus est C. Titius, cum Cicero ipse testetur (Brut. 45, 167): '. . . easdem argutias in tragoedias satis ille (sc. Titius) quidem acute, sed parum tragice transtulit: quem studebat imitari L. Afranius poeta, homo perargutus, in fabulis quidem etiam, ut scitis, disertus'. Nec minus Pacuvius in iis erat; Afranius enim ipse sententiam eius sibi probatam versu 7 R:

'Haut facul, ut ait Pacuvius, femina ⟨una⟩ invenietur bona'

nomine repetivit nominato. Nihil rursum in reliquiis Ennianarum tragoediarum invenitur, quod a togatarum scriptore in suas fabulas sumptum esse certum est; ego tamen coniciam eum Rudini poetae ann. v. 218 V

'Nec quisquam sophiam[2]) sapientia quae perhibetur'

memorem fuisse, cum scriberet v. 299 R:

'Sophiam vocant me Grai, vos Sapientiam',

tametsi ne haec quidem coniectura firmis fulcitur fundamentis. Tandem similiter atque C. Titi cum tragici tum oratoris stilum suum esse voluit, etiam Catonis orationibus interdum usus esse videtur; nam Marxius (RE I p. 709) quidem annotavit Catonis illud (p. 47 Jord.): 'aliud est, Philippe, amor, longe aliud est cupido' tangi Afr. versu 221 R: 'amabit sapiens, cupient ceteri'; sed dubitem, an talis locus communis ita vulgatus fuerit, ut Afranius eum aliunde cognoscere posset. — Perpaucis igitur locis nobis contigit, ut quatenus 'etiam a Latino' quaedam sumpsisset demonstraremus, minime vero evenit, ut recte eum illud confessum esse doceremus; attamen ei fidem detrahendam esse vix quisquam inde concluserit, sed fortunae iniquitate, qua nulla eius togata tota aut partes quidem alicuius maiores servatae sunt, ut tam tenuia ex hac quaestione proficeremus factum esse nemo non intellexerit. Hoc autem ex Compitaliorum versibus die clarius elucet non solum Me-

1) ea enim similia, quae in Afr. v. 326 ~ Acc. v. 646; Afr. v. 105 ~ Acc. praet. v. 41; Afr. v. 319 ~ Acc. v. 95; Afr. v. 322 ~ Acc. v. 420 inveniuntur, e sermone utrique communi sumpta esse facile ut concedas non vereor. 2) 'sophiam' recte quin Scaliger ex 'philosophiam' restituerit nemo dubitet.

nandrum, sed etiam Terentium, quem ceteris omnibus praeferret, summi ab Afranio putatum esse. Dein quod Cicero tradidit eum Titium tragicum et oratorem imitatum esse, non fieri non potuit, ut hanc memoriam ex loco poetae ipsius quodam hauriret, qui iam non exstat. Porro comperimus ne Afranio quidem defuisse, quibuscum controversias iniret; in quibus Lucilium quoque fuisse Cichorius mihi quidem peruasit. Atque quantum nos videmus, Afranius se defendit tantum: sed cur non suspicemur eum Terenti exemplum secutum, quippe qui item furti accusaretur, adversarios ipsum quoque petivisse? Neque scio an Accio similiter responderit atque Lucilius, qui tragoedias eius ita castigaret, ut tumorem praecipue iis vitio daret; quamquam certo quod ad eiusmodi responsa respicere asseverem, ego quidem nihil habeo. Paulo fidentius affirmem eum Lucilio oblocutum esse; versu enim 271 R:

'Poematorum non bonorum',

etsi tria tantum verba amplectitur, quin aliquis carpatur, vix quisquam dubitet; minus sane apparet, cuiusnam poemata nominentur 'non bona'. Ac primum Afranius certe aequali poetae obtrectavit, utpote cui ipsi inimicorum convicia subeunda essent. Quorum in numero cum etiam Lucilius, qui saturas suas nominavit poemata ipsa, fuisse videatur, nonne conicere licet togatarum scriptorem in illo alicuius fabulae prologo eadem 'poemata', quae Suessanus poeta sola ex multis ferri praedicaverat, bona esse negavisse [1]? Itaque non neglegendum est Afranium et ab Accio et a Lucilio, qui ipsi inter se tanta pertinacia rixarentur, petitum esse atque saturarum quidem scriptori respondisse nativam nimirum crisin exercentem; quae nisi longius recedant a vero, iterum illud confirmatur, quod iis praecipue temporibus, quibus nova poesis genera emergunt et gliscunt, artem litterarum criticam pollere ac vigere supra diximus.

§ 9. De Porcio Licino et Volcacio Sedigito.

Eorum, qui artis criticae quasi munere fungebantur, adhuc Accius tantum nobis obviam iit, cum in dubio relinqueremus, essetne etiam Valerius Soranus in eis habendus. Contra certo Acci vestigia secutus in litterarum historiam studia sua contulit Porcius Licinus [2]; is enim

[1]) argumentis ne hanc quidem coniecturam corroborare possumus; neque vero mediocriter gavisus sum, quod cum Cichorii quaestionibus casu neglectis haec enucleassem, postea hunc quoque Lucili interpretem doctissimum Nordeno insuper assenso ad easdem conclusiones pervenisse (pp. 201—202) legi. [2]) de quo copiose ac diligenter egit Ricardus Buettner: Porcius Licinus und der litterarische Kreis des Q. Lutatius Catulus, Leipzig 1893.

carmen trochaicis tetrametris componebat, quo, quamquam quomodo inscripserit nescimus, eum de poetis egisse manifestum est. Cuius clarissimi sunt illi versus, quibus Graecam poesim Romam advenisse celebravit (Gell. XVII 21, 45):

'Poenico bello secundo Musa pinnato gradu
Intulit se bellicosam in Romuli gentem feram'.

Sane summi momenti est, quomodo eos interpretemur: si enim verbis 'Poenico bello **secundo**' permoti ad Ennium eos referremus, Porcius et acriter de prioribus poetis iudicavisset, cum eos, ut Rudinus poeta Campano 'vati' nomen poetae denegaverat, non agnovisset et Ennium primum Musarum scopulos ascendisse concessisset, aut, ut brevius dicamus, eadem ipsa iudicia edidisset quae Rudinus de se et de prioribus fecerat. Sed haec opinio cum multorum tum Buettneri (l. s. pp. 50—52) ab aliis [1]) iamdudum ita, opinor, refutata est, ut ego hoc labore plane supersedeam. Revera enim Porcius his versibus Acci errorem accepit et protulit, qui Livium anno 197 demum primam fabulam docuisse suspicatus erat. Unde sequitur, ut nihil artis criticae iis contineatur, et Buettnerus ex hoc quidem loco perperam conclusit (pp. 52; 61 et 62) Licinum eorum fuisse assectatorem, qui cum Graecam poesim adamarent, Romanorum veterem respuerent; neque faustius evenit eidem viro doctissimo, ut eum Q. Lutati Catuli, hellenismi quem dicimus fautoris atque propugnatoris, clientem fuisse probaret [2]). Quamvis autem Ennium his versibus laudari negemus, facile fieri nescio an potuerit, ut Porcius alicubi praeco eius exsisteret; eum enim de vita praeclarissimi Annalium poetae scripsisse apparet ex Varronis verbis hisce (ling. lat. V 163): '. . . ligionem Porcius designat cum **de Ennio scribens** dicit eum coluisse Tutilinae loca'; utrum autem separato libro de eo disseruerit an historiam omnium poetarum criticam ediderit, quod non diiudicat, rectissime facit Buettnerus (p. 53). Itaque quomodo de eo senserit ignoramus, neque hilo clarius perspicimus, quid de contubernali eius Statio Caecilio dixerit. Quod enim Buettnerus (p. 59) hunc, quod inepta atque horrida vocabula usurpasset, a Porcio vituperatum esse coniecit rursum ab eo dissentio; namque versum illum a Nonio (205 M) traditum Lucilio [3]) demendum et Licino dandum esse probare frustra conatus est (pp. 57—58), neque ullo modo versus sic resarciri potest:

'(saeva arenati) Caecili nomina et salsi fretus',

[1]) Leo: Pl. F. p. 68; Hermes 39, p. 66, ann. 4; Hendrickson: Am. journ. of phil. 19, p. 290; Schanz: Rh. Mus. 54, pp. 19—23; R. L. G. I 1 p. 223; K. Allen l. s. s.; neque Buettnero mea quidem sententia contigit, ut suam opinionem tueretur Rh. Mus. 55, pp. 121—130. [2]) M. Rothstein: Wochenschr. f. klass. Phil. 1893, pp. 1399—1400. [3]) 939 M: 'serena caeli numine et salsi fretus'.

cum secunda Caecĭli syllaba correpta sit. — At tandem his coniecturis relictis ad certa accedamus; procul enim dubio est, quin Porcius de alio palliatarum poeta iudicaverit, de Atilio, qui ad priscorum morem reversus etiam tragoedias scribebat; legimus enim Cic. de fin. I 2, 5: 'iis igitur est difficilius satisfacere, qui se Latina scripta dicunt contemnere . . . a quibus tantum dissentio, ut cum Sophocles vel optime scripserit Electram, tamen male conversam Atilii mihi legendam putem. De quo Licinus: 'ferreum scriptorem, verum opinor scriptorem tamen, ut legendus sit'. Sane dissentiunt docti (Buettner pp. 53—54), utrum duo tantum verba 'ferreum scriptorem' an etiam sequentia ex Porcio sumpta esse censendum sit; sed cum ex his verbis:

'ferreum scriptorem, verum, opinor, scriptorem tamen
ut legendus sit'

facillime trochaica metra recognoscamus, quae eadem alibi Licinum adhibuisse constat, multos doctos secutus facere non possum, omnia quin huic verba attribuam, quamquam recentissime et Zillingerus (l. s. p. 168 ann. 2) et Leo (L. G. p. 437 ann. 2) in alteram sententiam discedere maluit. Neque cum Buettnero (p. 55) inde concludere dubito Licinum sibi proposuisse, ut ex permultis, qui poeticae arti se dederant, eos eligeret, quos qui legerentur dignos esse arbitraretur. Minime autem ei (p. 63) assentior, quod etiam illud acre de Electra Atiliana iudicium a Cicerone ex Porcio ipso haustum esse coniectavit; nam primum Tullius ipse eam sibi legendam esse censet, ut miraremur, si revera non legisset, dein ei hanc tragoediam ignotam fuisse, utpote quae adeo non oblivione obrueretur, ut quaedam eius partes inter Caesaris ludos funebres cantarentur (Suet. Caes. 84), vix quisquam qui credat inveniatur, postremo denique Ciceronem sua ex ratione atque arbitrio iudicia edidisse neque vero stupide ac religiose — quod Buettnerus (pp. 62 sqq.) opinatus est — priorum criticorum sententias repetivisse Zillingerus (l. s. pp. 44—49) recte monuit; interdum nimirum fiebat, ut idem sentiret atque illi: veluti cum alio loco (ad Att. 14, 20, 3) Atilium 'poetam durissimum' nominaret, certe illa Porci verba recordatus erat, de quibus modo disputavimus. Nonne praeterea mirum est eum, si secundum Buettnerum et Electram 'male conversam' et Atilium 'ferreum scriptorem' esse apud Licinum legisset, hoc alterum tantum iudicium illius esse indicaturum fuisse? Ergo haec quoque illius doctissimi coniectura ita debilitatur, tota ut corruat. — Ut autem Porcius de vita Enni egit, sic de Terentiana quoque scripsit. Suetonius (vit. Ter. p. 4 W) enim hos fere versus ex scripto eius sumptos tradidit:

'dum lasciviam nobilium et fucosas laudes petit,
dum Africani voce divina inhiat avidis auribus,

dum ad Philum se cenitare et Laelium pulchrum putat,
dum se amari ab his credit ⟨ob venam ditem ingeni
reda⟩ crebro in Albanum rapitur ad florem aetatis suae.
Is pos sublatis rebus ad summam inopiam redactus est.
Itaque ex conspectu omnium abiit in Graecam terram ultimam
mortuus[t] Stymphali Arcadiae. Oppido nihil Scipio
ei profuit, nihil illi Laelius, nihil Furius,
tres per id tempus qui agitabant nobiles facillime⟨i⟩.
eorum ille opera ne domum quidem habuit conducticiam
saltem ut esset, quo referret obitum domini servolus';

quibus tam saepe et tot doctissimi mederi temptaverunt, ut non minus audax quam superfluum esset, si ego quoque coniecturas iam allatas augerem, praesertim cum nobis in nostra quaestione abunde sit, quae universe versibus contineantur intellegere; itaque lectiones a Stowassero (Zeitschr. f. d. östr. Gymn. 51 pp. 1069—1074[1]) nuperrime propositas elegi, quamquam de singulis interdum dubitavi[1]). Ac ne de sensu quidem eorum inter se congruunt docti, qui imprimis dissentiant, num Porcius revera suspicionem de obscena Terentium inter et nobiles illos consuetudine excitarit; quod Suetonio expresse affirmanti cur fidem denegemus, mea quidem sententia non habemus. Sed etiamsi Porcio vitio hoc dare cum Buettnero nolimus, tamen versus illi tanta malitia tamquam referti sunt, quantam vix in 'malevolorum' illorum opprobriis reperiamus, quibuscum Terentio vivo pugnandum erat, et aptissime Ribbeckius (l. s.) sic eos descripsit: '. . . atque omnino tenendum est maligne litteratum illum hominem de poeta invisо referre, consulto igitur verbis uti . . . venenatis, quae iactantiam vani hominis castigent'. Nam cum voluptate quadam Porcius copiose explicat, quomodo Publius nobiles sectetur neque ludibrio se illis esse intellegat, dum in res adversas inciderit ullius eorum auxilii expers. Quodsi ita poetam fatuum ac stolidum fuisse narravit, qui meritissimo infortunio affectus esset, odio illius quodam incensum fuisse patet; atque etiamsi his quidem versibus, quid comoediarum Terentianarum sibi displiceret non declaravit, per se fere sequitur, ut poesim non multo pluris aestimaverit quam poetam ipsum; quod enim eum 'fucosis' laudibus deceptum esse a nobilibus illis dicit, ipse indignas, quae laudarentur, eas esse putavit. Interrogantibus quidem, unde odium illud ortum sit, vix quisquam responso plane satisfaciat, quamquam Marxius (auct. ad Her. prol. p. 150) eum nobilitati eiusque asseclis inimicissimum fuisse non inepte

[1]) aliorum quoque coniecturas cognoscere si velis, confer quaeso: Buettner pp. 14—32; Norden: Gött. gel. Anz. 1894, pp. 483—485; Ribbeck: Rh. Mus. 50, pp. 314—315.

coniecit. Utique ex his quoque versibus discimus, quomodo artem criticam exercuerit. — Summam si subducimus (cf. Buettner pp. 61—62). Porcius egit primum de vitis poetarum atque moribus, quod ex illis de Ennio et Terentio versibus cognoscimus, deinde de sermone singulorum, si haec ex iudicio de Atilio facto colligere licet, postremo eos elegit, quos legi operae pretium esset. Si a certis ut ad coniecturas nos convertamus permittas, eum, cum haud paucos ante Varronem in originem fabularum Plautinarum inquisivisse sciamus, hac quoque a parte crisin exercitasse probabile est, tametsi nihil de tali eius studio traditur; neque minus verisimile videtur eum, cum sicuti Accius, Volcacius, alii aestheticae aestimationis munere fungeretur, Graecos quosdam secutum esse, quamvis accuratius vix quicquam erui possit (Buettner p. 4). Hoc autem officium, quod acerbitate Lucilianae simili administrabat, totum fere eius litterarum studium explevisse videtur, tametsi a Gellio (XIX 9, 9; 13) in iis poetis 'amasiis et veneriis' nominatur, qui epigrammata condiderint; sed ad hanc poesim quasi ludibundus accessisse videtur. Minime tamen recte fecit Buettnerus (pp. 70—78), quod Horatium (art. poet. v. 301) eum designasse criticum quasi κατ᾽ ἐξοχὴν Romanum opinatus est; neque enim fieri potest, ut tonsor ille, qui a Flacco commemoratur, Licinus ipse intellegatur (Rothstein l. s. p. 1398; Kiessling-Heinze ad h. l.). Neque contigit eidem viro doctissimo, ut Horati de poetis vetustioribus iudicia, quae ep. II 1, 50 sqq. leguntur, ex Porcio hausta esse doceret. Quamquam autem non tantum de eo scire nobis videmur quantum Buettnerus, certe maxime dolendum est, quod tam exilia fragmenta carminum eius supersunt; multo enim melius alioquin priscas Romanorum litteras novissemus, praesertim cum — nisi nimis audacter ex illa de Atilio aestimatione colligatur — breviter cur alium laudaret, alium reprehenderet indicasse videatur; quod Volcacius Sedigitus universe quidem non faciebat: ad quem nunc progrediamur!

Cuius canon clarissimus vel potius famosissimus (ut Schanzius lepide dicit p. 225) omnium facile gravissimum testimonium artis criticae nobis suppetit, quod ex priscis temporibus servatur, ac summam gratiam habemus Gellio, qui (XV 24) hos versus memoriae prodiderit: ('Sedigitus in libro, quem scripsit de poetis, quid de his sentiat, qui comoedias fecerunt, et quem ex omnibus praestare ceteris putet ac deinceps, quo quemque in loco et honore ponat, his versibus suis demonstrat'):

'Multos incertos certare hanc rem vidimus,
Palmam poetae comico cui deferant.
Eum meo iudicio errorem dissolvam tibi,
Ut, contra si quis sentiat, nihil sentiat.

Caecilio palmam Statio do mimico.
Plautus secundus facile exuperat ceteros.
Dein Naevius, qui fervet, pretio in tertiost.
Si erit, quod quarto detur, dabitur Licinio.
Post insequi Licinium facio Atilium.
In sexto consequetur hos Terentius.
Turpilius septimum, Trabea octavum optinet.
Nono loco esse facile facio Luscium.
Decimum addo causa antiquitatis Ennium.'

Quamquam non mero gaudio afficimur hoc documento, cum Volcacius quibusnam de causis decem palliatarum poetas hoc ipso modo ordinaret reticuerit. Quae cum ita essent, docti recentiores eliciebantur, ut eruere conarentur, num quid hic vel illic in canone invenirent, quod de ordinis rationibus aliquid nos doceret. Neque nostra nihil refert enucleari, unde Sedigiti de singulis poetis iudicia emanaverint; itaque diligentissime nobis explicandum erit, num quae profecerint docti eiusmodi quaestionibus. Ac primum Theodorus Ladewig (Über den Kanon des V. S., Progr. Neustrelitz 1842, p. 11) ita eum ratiocinatum esse opinatus, ut, quo quis poeta magis a Graecis exemplaribus recessisset, eo potiore loco dignus putaretur, non minus quattuor poetarum classes in canone discernere sibi visus est. Quamvis autem sagacissime eum singula probare temptavisse confitearis, caducam eius argumentationem esse non neges; imprimis enim mea quidem sententia illud, quod supra tractavimus, Terenti testimonium parum respexit, quo Naevius, Plautus, Ennius fabulas contaminasse expresse dicuntur. Ennius igitur quartae i. e. summae classi ab doctissimo illo constitutae vel ad minimum tertiae attribuendus est, quibus omnes eos contineri voluit Ladewigius, qui hoc artificio usi essent. Nonne autem summa admiratione imbuimur, quod revera ultimo demum loco Rudinus poeta ponitur a Volcacio? Quod cum Ladewigium non fefellisset, eum a critico minime ob laudem comoediis partam, sed ob alia merita nominari explicabat (p. 12). At cum rectissime hoc docuit, Volcacium illi rationi nequaquam tantum attribuisse, quantum suspicatus est ipse demonstravit. Etiam magis autem eius opinioni haec obsistunt: quoniam Caecilio primus locus adsignatur, colligas, si philologum illum [1] sequaris, oportet liberrime eum fabulas contaminasse atque liberius Plauto ipso hoc artificium adhibuisse. Sed revera eum unquam contaminatione usum esse neque memoria accepimus neque ex fragmentis intellegimus: quod ipse con-

[1]) ceterum annotem indignam esse sagacitate ea, qua alia excussit, hariolationem illam, qua Plautum idcirco Caecilio posthaberi opinatus est, quod non item atque hic etiam togatas scripsisset.

cessit Ladewigius (p. 19)! Etiamsi vero supra ex illo loco Terentiano cum Leone concludere nolui eum omnino non fabulas contaminasse, dubitari non potest, quin Afer eum quoque, cuius brevi antea defuncti fabulae certe iam bene audirent a populo, sui defendendi causa testem allaturus fuerit, si profecto saepissime fere omnium comoedias contaminasset, praesertim cum Naevium et Plautum, quos Ladewigius praeter Caecilium summam classem efficere voluit, auctores appellaret. Futtile denique aliquid protulit Reichius (Der Mimus [Berlin 1903] I p. 346, ann. 1), quod Terentium vetustissimos tantum poetas enumerasse dixit, cum Caecilius quasi 'minor natu' fuisset, quam cuius auctoritate bene niteretur. Etsi enim Insuber poeta viginti fere annis post 'contubernalem' suum natus esse videtur (Schanz p. 132), eum 'mortuum esse anno post mortem Enni' scimus (Hier. 2 p. 125 Schn.); ergo tum, cum Terentius Andriae prologum scripsit, Rudinus poeta non maiore vetustatis auctoritate apud populum valere potuit illo; immo Caecilius, cum comoediarum virtute et gloria longe eum superaret, multo magis erat idoneus, quo contaminationis tamquam vade uteretur Terentius. — Post Ladewigium aliam Volcaci rationem repperisse sibi visus est Henricus Iber (de V. S. canone, diss. Münster 1865, p. 4), qui censuit 'fundamentum ordinis comicorum in concitatione τοῦ πάθους vel affectuum positum esse, ita quidem, ut illi comici, quorum comoediae his commovendis insignes viderentur eoque consilio, ut animos spectatorum commoverent et tenerent, conditae essent, ceteris, quibus alius esset finis in conscribendis fabulis, hoc canone praeferrentur'. Sed huius quoque opinione accepta occurrunt difficultates, quae nullo modo removeri possunt: Volcacium enim, si hoc fundamento, quo canonem exstrueret, usus esset, nunquam Trabeam Terentio postpositurum fuisse mihi quidem persuasum est. Namque etsi nihil fere de Trabeae comoediis accepimus, Varro (cf. Charisius G. L. I p. 241, 28) affirmavit eum πάθος ipsum excitavisse, atque multo magis quam Terentium: 'ἤθη nullis aliis servare convenit quam Titinio, **Terentio**, Attae; πάθη vero **Trabea**, Atilius, Caecilius facile moverunt.' Atque non solum Caesar Cicero alii hanc Reatini doctissimi sententiam secuti sunt, utpote qui Menandrum a Terentio 'dimidiatum' vel 'in medium sedatis motibus elatum esse' iudicarent, sed nos quoque sentimus, quantopere affectus ab eo quasi reprimantur. Quoniam autem hoc Varronem rectissime censuisse credimus, non est, cur ei diffidamus Trabeae comoediis πάθος attribuenti, quamvis ipsis eas perscrutari nobis iam non liceat. Quae cum ita se habeant, fieri non potuit, quin Trabea Terentio anteponeretur, si Volcacius πάθος commovendi facultatem adeo respexisset. Sane Iberus (pp. 43—47) rationibus usus, de quibus ac-

curatius disserere longum est, quattuor [1]) iterum classes constituere conatus et Trabeam inferiori assignandum esse Terentio arbitratus non mirum esse asseveravit, quod hic illi antehaberetur; sed ita et fundamento illi, quod p. 4 tanta vi affecerat, aliquantum firmitatis detraxit et ad argutias vanas atque coniecturas se convertit; etenim quam temerarium se praebuerit, cum 'comoediae palliatae originem et progressus a primis incunabulis usque ad florem perduci et proponi a Sedigito' demonstraturus esset, vel inde intellegas, quod de ratione, quam Ennius in iis scribendis adhibuisset, nihil a veteribus traditum esse dixit atque dein eum unam tantum fabulam Graecam sumpsisse imitandam (pp. 43—44) fabulatus est; an plane oblitus erat versus illius Terentiani, unde Rudinum poetam comoedias contaminasse certo comperimus? Itaque Iberi quoque coniecturae repellendae sunt. — Tertio loco Hermannus Reich nominandus est, qui et Ladewigii et Iberi sententiolis recte reprobatis se ordinis rationes enucleasse confisus est, cum dixit (l. s. pp. 337—353) Volcacium horrida quadam cum constantia eorum artem summi fecisse, qui maxime 'mimici' fuissent [2]); sed huius quoque viri doctissimi argumentatio facillime labefactatur. Primum enim si Caecili revera erat spectatorum 'risum mimicum' petulantia populari concitare, qui unquam fieri potuit, ut repulsam ferret? Atqui Ambivius in prologo illo Terentiano narrat sua tantum patientia effectum esse, ut ille scaena comica paulatim quasi potiretur. Ac coniecerit fortasse quispiam poetam posteriores demum fabulas 'vi mimica' instruxisse; at vix nobis iam eveniat, ut diversa 'poetandi' tempora ex fragmentis cognoscamus, et Ritschelius, qui tamen ea discernere sibi visus est (Parerg. p. 145 ann. *), contra coniectavit Caecilium, quo maiorem fabulas scribendi peritiam sibi peperisset, magis magisque a Plauto regressum Terenti potius rationi accessisse urbanitate Graecorum politae: itaque, simodo Ritschelius recte senserit, in iis comoediis ipsis 'vi mimica' excellere Caecilio licuit, quae a populo exigebantur! Dein Reichius nequaquam probavit fervorem illum, quo Naevius praeditus fuisse a Volcacio dicitur, ad 'vim mimicam' referendam esse; mihi enim Leonem (Pl. F. 77; 93) secuto probabilius hac voce παρρησία Aristophanea tangi videtur, quam Naevius in scaenam Romanam traducere conatus est. Sed licet Reichius hoc vocabulum rectius nobis intellexerit, illo eodem Varronis loco erroris coargui potest, quem ipse interpretatur pp. 342—343: 'πάθος, quod comoedia concitandum est, risu alacri et lascivo continetur et mimica fabulae vi ex audientibus elicitur';

[1]) revertit igitur quadam a parte ad Ladewigii opiniones. [2]) ceterum iam Haulerus idem fere coniectaverat (Dziatzko-Hauler: Phormio[3], 1898, p. 23 ann. 3).

cuiusmodi πάθους causa Caecilio a Volcacio palmam datam esse. At tum — ut taceamus de Atilio, qui quinto quidem loco dignus haberetur, num ullo modo fieri potuit, ut Trabea, cuius Varrone teste gravissimo idem πάθος proprium esset, ultimo fere loco positus haud multo pluris a critico duceretur quam Luscius, quem cum religiose et anxie Graecas comoedias vertisset, merito atque iure nonum locum adeptum esse Reichius ipse censuit? Ergo apertissimum est Volcacium, licet Caecilium ob vim mimicam ipsam primum esse voluisset, in Trabeae quidem arte existimanda aliam quandam rationem atque nobis ignotam persecutum esse; fundamento autem destructo Reichii tota corruit opinio [1], ut non sit, cur alteri illi in hac nixae quicquam attribuamus, qua Volcacium cum peripateticorum tum Theophrasti iudicia secutum canonem constituisse dixerit. — Etiam facilius denique opinio ea refelli potest, quam Brugnola (Riv. di fil. 36, pp. 115—117) nuperime protulit: qui tantum afuisse suspicatus est, ut Volcacius artem singulorum poetarum respiceret, ut eorum de re publica sententiarum rationem haberet, cum, ut esset ipse popularissimus, eos summi duceret, qui optimates acerrimo odio persequerentur. Quae recte si ratiocinatus esset, non dubium est, quin Naevius, quantum de audacia eius et lingua liberrima scimus, palmam accepturus fuerit et multo longius in canone distaret a Terentio, quippe quem in contrariam partem discessisse Brugnola ipse dicat. Revera autem Campano poetae et Caecilius et Plautus praefertur! Atque cum vir doctissimus ipse confiteatur, quid Sarsinas de re publica senserit nos ignorare, nulla re eum sequi cogimur conicientem illum plebis quasi propugnatorem superbiae optimatium obstitisse; nam satis multae comoediae Plautinae servantur, ut certe aliquid iam cognosceremus, si profecto nobiles non modo impugnasset, sed etiam, cum secundum canonis locum obtineret, Naevium ipsum fervore illis obtrectandi superasset. Omnium autem acerrimum optimatium castigatorem se praebuisset Statius Caecilius; sed primum iterum nescimus, quibus a partibus in civitate steterit, deinde futurum fuisse verisimillimum est, ut Insuber poeta, quem servum Romam venisse certum est, siquidem nobiles odisset, Naevi libero loco nati infortunio deterreretur, ne eos in scaena 'nominatim laederet'. Postremo autem non est obliviscendum, quod Brugnola parum respexisse videtur, eum Enni contubernalem fuisse. An quisquam sibi persuadebit hunc tam familiari illius consuetudine usurum fuisse, qui vel Fulviis vel Scipionibus obtrectare non desiisset? Nonne potius pro certo ponere licet eum statim favorem eorum fuisse amissurum, si talem contubernalem sibi ele-

[1]) conferas etiam velim, quae Herzogus, acerrimus 'Mimi' castigator, de toto libello censuerit (Berl. phil. Woch. 1904 p. 1092).

gisset, sicuti Horatius Maecenatis amicitiam vix nanctus esset, nisi in Octaviani, cui antea adversatus erat, partes transgressus esset? Itaque Italus quoque vir doctissimus erroribus implicatus est, cum mirum profecto in modum rationem canonis explanasse sibi videretur. — Quae cum ita sint, nos quidem cognoscere iam non possumus, cur Volcacius hunc ipsum comicorum ordinem esse voluerit, ac rectissime Buettnerus (p. 36) explicavit eum, ni omnia fallerent, non sine ira ac studio, sed modo cum benevolentia modo cum malevolentia iudicasse. Suas tamen sententias ceteris omnibus quasi inculcare satis arroganter conatur. Etiamsi enim Reichius vocem 'mimicum' recte [1]) interpretatus sit, duobus tantum poetis epitheton apposuit, quo virtutes artis poeticae eorum designaret — ac ne scimus quidem accurate, cur Naevium 'fervidum' nominaverit —, cum ceteros enumerare maluerit ordinalibus plerumque adiectis, qui nulli nobis sunt usui. Attamen suum iudicium, quo 'errores' aliorum se dissoluturum esse pollicetur, rectum atque ab omni dubio tutum esse asseverat, cum nulli nisi stulti de eo dubitare ausuri sint. Utinam minus superbe singulorum poetarum rationes descripsisset, ut nos quoque aliquid de iis disceremus! — Quod autem doctam litterarum aestimationem cum arte grammatica demum Romam pervenisse in praefatione monui, hunc canonem ipsum habeo testimonium gravissimum; morem enim eiusmodi normas atque regulas constituendi ex studiis Graecorum grammaticorum evasisse tritum est. Veluti Quintilianus (X 1, 46 sqq.; 54; 59) tradit clarissimos Alexandrinorum Aristophanem et Aristarchum ipsos canones partim epicorum partim epicorum et iambographorum fecisse; neque minus Pergameni iisdem studiis se dabant; luculente enim Brzoska (l. s. pp. 56—79) canonem X oratorum Atticorum a Pergameno rhetore et critico circa annum 125 compositum esse probavit. Atque Volcaci aetate [2]) ipsa haud pauci canones a Graecis scripti esse videntur, cum idem vir doctissimus suo opinor iure opinatus sit pictorum et statuariorum canones alteri secundi saeculi parti assignandos esse (l. s. pp. 71—72) et historicorum canonem eodem fere tempore ortum esse atque decadem oratorum (l. s. p. 50). Neque omittendum est et in iis et in aliis (Brzoska p. 47—51) denarium numerum inveniri, quo tamquam sacro veteres usos esse ad tales ordines definiendos Steffenus (de canone etc., diss. Leipzig 1876, p. 50) lepide dixit. Vidimus igitur canones ex Graecorum grammati-

[1]) ego quidem Brugnolae assentiar, qui dixerit 'mimicum' hoc loco nihil aliud sibi velle atque 'comicum', quod vocabulum cum iam brevi antea usurpasset, repetere noluisset Volcacius. [2]) non recte Buettnerus (p. 36) dixit eum iam anno 130 floruisse, cum sub finem fere alterius a. Chr. n. saeculi 'clarus habitus esse' videatur (cf. Norden: Gött. gel. Anz. 1894, p. 486).

corum crisi ortos, Volcaci ipsius temporibus persaepe compositos, denarium numerum non raro amplexos esse; hunc autem cum eundem in Sedigiti quoque canone reperiamus, quis nostrum dubitet, quin ad Graecarum decadum exempla a Latino critico conformatus sit? Quanto enim consilio hanc decadem adhibuerit, inde maxime elucet, quod novem tantum poetas ex virtute comoediarum aestimavit, cum Ennium antiquitatis causa a se addi expresse diceret. Ceterum aeque atque hunc ab illis separat, Caecilium Plautum Naevium seiungit a sequentibus, cum verba interponit: 'si erit, quod quarto detur...'; aperte autem Ennio antiquitatis, ut simulat, causa adiecto nihil aliud spectavisse videtur, nisi ut denarium numerum in Graecis exemplis usitatum suppleret. Quod vero Brzoska Sedigitum Pergamena exempla secutum esse dixit, quod contradicam, non habeo, praesertim cum constet, quantum Pergamenorum doctrina ad Romanos erudiendos valuerit (cf. v. Wilamowitz: Antigonos von Karystos, Phil. Unters. IV, Berlin 1881, pp. 161—163; 176 sqq., et Accium Didascalica ad eiusdem disciplinae exempla effinxisse ipsi supra coniecerimus. Annotem denique Volcacium X vel potius IX eos elegisse e palliatarum poetis, quos praestantissimos duceret, neque vero in usum scholarum delectum confecisse, quod Steffenus (l. s. p. 54) suspicatus est de Aristophane et de Aristarcho. — Sed nunc canone satis, opinor, fuse tractato accedamus ad alia, quae de crisi Sedigiti accepimus. In vita Terenti (p. 5 W) haec nobis traduntur:

'† sumetur Hecyra sexta in his fabula.'

Quem trimetrum permulti docti[1]) restituere conati nihil protulerunt, quod ab omni dubio tutum esset, sed ego quidem, cum versui mederi nec possem nec vellem, verba ita fere praebui, ut traduntur, cum ea partim corrupta esse non ignorarem neque vero quomodo corrigerentur scirem. Bene enim accidit, quod quid sibi velint intellegimus quidem, cum ex iis, quae in vita Terentiana versum ipsum praecedunt: 'hanc (scil. Andriam) et quinque reliquas aequaliter populo probavit, quamvis Vulcatius † denumeratione omnium ita scribat: . . .', Sedigitum de repulsa ab Hecyra aliquando lata eo narravisse manifestum sit. Multo rursum difficilius est diiudicatu, cur sextam hanc fabulam esse voluerit; Ritschelius (opusc. 3 p. 237) enim hunc numerum ad actionum ordinem spectare exposuit: ac profecto Hecyra cecidit, cum anno 160 in ludis

[1]) de prioribus egit Buettnerus (pp. 37—40), cuius ipsius coniecturae repulsae sunt a Nordeno (Gött. gel. Anz. 1894, p. 486); neque quisquam assentiatur Stowassero, qui (Zeitschr. f. d. östr. Gymn. 51 pp. 1074—1075) verborum ordinem per vim mutaverit et novum 'submerendi' verbum a se repertum substituendum esse censuerit.

Aemili Pauli funebribus ageretur, neque vero iam anno 165 eandem comoediam exactam esse non constat; ergo Volcacius non minus apte vel aptius fortasse secundam eam nominare potuit quam sextam. Nam aegre Ritschelio largiamur neque primam neque tertiam actionem ei notam fuisse, cum eum Ambivi prologum non cognovisse parum credibile sit (Buettner p. 38); ac ne per se quidem verisimile est eum, qui suum de litteris iudicium rectum et perfectum esse autumavit, fabulas ex temporum ordine enumerasse. Quapropter Leo (Rh. Mus. 38 p. 321) Hecyram, quam ultimo loco collocaret, deterrimam omnium comoediam eum existimavisse recte coniecisse videtur; unde sequatur, ut ceteras quoque eandem secutus rationem ordinaverit. Quae nisi abhorrent a vero, vocabulum † denumerationis, quod maxime iterum varie docti corrigebant, idem sibi velit oportet atque 'aestimatio'; cum autem non intellegam, quemadmodum haec vox, quam archetypo ipsi tribuendam esse Buettnerus (l. s. p. 39) autumavit, in illam traditam deformari potuerit, hic quoque satis habeo cognovisse, quid significet fortasse vocabulum, quomodo autem sanetur, dubius. Quales vero rationes hac in censura observaverit, iterum vix dicere possumus, sed eum hic quoque copiosius, cur ita iudicaret, explicare[1]) non curasse ego quidem coniciam, cum eum pariter atque in canone fabulas eo ex ordine, quem probandum esse suo iudicio censeret, enumeravisse, et hoc solum rectum esse affirmasse suspicer. Quod in fine enumerationis quasi probare conatus est, cum Hecyram ut sibi sic audientibus displicuisse asseveravit[2]); quodsi autem eum de industria fortasse reticuisse hanc fabulam in tertia quidem actione plausum populi tulisse proponam, quam debilis haec coniectura sit, non nescio. — Itaque si non pro certo, tamen pro veri simili duci liceat Sedigitum senariis iterum usum ut comicorum, ita singularum Terenti fabularum quasi canonem hac 'ratione' constituisse, ut suo solo ex arbitrio optimae cuique potissimum locum assignaret. — Etiam difficilius verum enucleari potest de versibus quibusdam, quorum de origine ipsa docti incerti sunt; legimus enim in vita Suetoniana[3]) (pp. 9—10 W): 'Scipionis fabulas edidisse Terentium † Vallegius in actione ait: hae quae vocantur fabulae cuiae sunt non has qui iura populis † retentibus dabat summo honore affectus fecit fabulas.' Hos quoque versus omnibus fere auxiliis docti resarcire conabantur (Schanz p. 226), neque vero adhuc ad bonum finem

[1]) quod arbitratus est Buettnerus p. 38. [2]) expresse hoc dixisset, si Bergkius versum illum (assentiente Weßnero) recte ita restituisset:

'sumetur Hecyra sexta exilis fabula.'

[3]) lectiones, quae Parisino A (cf. apparatum criticum Weßneri) praebentur, Schanzium (p. 226) secutus descripsi.

perveniebant; difficultates autem, quae iam restant, cum dissolvere non possem, Ritschelii (opusc. III p. 214) recensionem, quae maxime omnium mihi placeret, hanc elegi:

> 'Tuae, Terenti, quae vocantur fabulae,
> Cuiae sunt? non has iura qui populis dabat
> Summo ille honore affectus fecit fabulas?'

Cum igitur verborum contextus pessime traditus sit, multo magis perspicuum est, quid sibi velint hi versus, utpote quibus aperte quaeratur, utrum Terenti comoediae ex ipsius ingenio profectae sint necne. Quis autem erat Vallegius ille, qui ita quaesivit? Ritschelius (l. s. p. 271) quidem censuerat Vagellium, Senecae amicum litterarum peritum, intellegendum esse, secutus Buechelerum, qui tamen 'Vallegium' in 'Volcacium' mutandum esse postea (Rh. Mus. 33, p. 492) coniecit: quod mihi quidem veri haud dissimile esse videtur; nam — ut ipse admonet Buechelerus — pronominis 'cuiae' usus veteri poetae alicui attribuendus est, neque miremur, quod Sedigitus de Terentianarum fabularum, quarum ex virtutibus singularum ordinem constituerat, origine disputaverit, quem in Plautinas eandem operam contulisse brevi exponemus; itaque illius viri doctissimi sententiam, si non prorsus certa est, attamen vero propinquam esse mihi persuasi. Per se denique intellegitur eum et illum de Hecyrae infortunio memoriam et hoc furti crimen ex prologis Afri ipsius hausisse, neque quantum ego perspicio, dubitavit, quin Luscius iure ac merito adversarium alieni auxilii accusaret. Neque vero de scriptis solum egit, sed etiam vitam Terenti similiter atque Licinus attigisse quidem videtur, cuius de exitu haec narravit (p. 7 W):

> 'Sed ut Afer populo sex dedit comoedias,
> Iter hinc in Asiam fecit. ⟨in⟩ navem ut semel
> Conscendit, visus numquam est: sic vita vacat.' —

Indicem denique fabularum Plautinarum teste Gellio (III 3, 1) ab eo compositum esse praeteriri non licet; quo in studio non minus quam in canone constituendo Graecos grammaticos secutus est, cum eiusmodi indices haud multo differrent a πίναξιν illis, quos et Callimachum et Cratetem conscripsisse certum est (cf. Wachsmuth: de Cratete Mallota, Leipzig 1860, p. 33); itaque, si velis, Volcacium pinacographum nominare possis.

Reliquum est, ut qualibus in scriptis tota haec iudicia fecerit dissseramus. Ac si omnes eius reliquias ad palliatarum poetas attinere memineris, eum proprio libro de hoc dramatis genere egisse fortasse conieceris; sed huic opinioni obstant verba a Gellio canoni praemissa (cf. p. 92), unde eum generaliter 'de poetis' scripsisse elucet. Cum autem porro in omnibus fragmentis iambicos senarios recognoscamus, certum est eum consulto ac libenter eos usurpasse et verisimile quidem totum illum 'de poetis' librum iis compositum fuisse. Quem in complura capita, quibus singula artis poeticae genera tractarentur, divisum fuisse non necesse est commemorari, ac fors tulit, ut ex illo de palliatarum poetis capite solo quaedam nobis relinquerentur, neque huic ipsi, quaecunque de Terentio audivimus ex Volcacio, assignare dubitaverim. Quibus ex reliquiis nescio an colligi liceat eum canone quasi prooemio praemisso singulorum poetarum et vitas et scripta tractasse. Indicem sane Plautinum vix in hoc opere, simodo totum senariis conditum erat, locum habuisse censeas, cum vincta eum oratione compositum fuisse aegre tibi persuadeas. Utrum vero Volcacius omnibus capitibus eiusmodi canones praemiserit (Buettner p. 38) an nullum alium constituerit (Schanz p. 225) praeter eum, quem iam habemus, non potest diiudicari. Certum tamen sit eum in aliis quoque libri partibus non nudam poesis historiam praebuisse, sed ibi quoque de singulis poetis iudicia fecisse. — Hic igitur liber, qui fortasse 'de poetis' inscribebatur, doctae aestimationis quasi plenus erat; sane si ex canonis ratione ad totum opus concludere liceat, Volcacius perraro indicabat, quibus de arte sententiis ductus singula iudicia ederet, sed superbe autumabat ultra citraque suum arbitrium neminem sentire recti quicquam. Et se suo iure elegantiae iudicem ita exsistere haud scio an idcirco maxime confisus sit, quod ipse Musis non invitis poesi se dedisse videtur, simodo merito 'inlustris in ea' a Plinio (n. h. XI 244) nominatus est. Totam vero eius crisin aestheticam ex Graecorum grammaticorum exemplis pendere satis asseverasse mihi videor.

Comperimus denique ex primis canonis versibus non Volcacium solum huiusmodi quaestionibus operam impertivisse, sed 'multos certasse incertos, cui palmam deferrent'. Spectaritne Volcacius his verbis ad Porcium Licinum, dubium est; nam de Terentio quidem utriusque iudicium idem fere fuisse videtur, cum neuter magni eum aestimaret satis autem probabile esse putem eum illum Afrani aequalis versum destrinxisse, quo Afer ceteris omnibus anteponitur; facile igitur fieri potuit, ut Afranius quoque inter eos esset, quorum 'errores se dissoluturum esse' illic pollicetur Volcacius Sedigitus.

§ 10. De historicis, oratoribus, grammaticis.

Ex quo de Catone disseruimus, litteratos prosa oratione usos omnino non respeximus; quod nostro iure facere idcirco nobis videbamur, quod

pauca de illis dici licet, quae hac ultima paragrapho facillime comprehenduntur. Atque cum postremo de Porcio etiam Originum scriptore disputaverimus, nunc quaestione quasi ad eum annexa primum quid de historicis enucleari possit exponemus. — Quod attinet ad medios qui vocantur annalium scriptores, animadvertendum est L. Cassium Heminam aliquem 'hominem mere litterosum' (Peter: hist. fragm. p. 72) nominavisse; utrum autem hanc litterarum eruditionem decessori cuidam an Catoni ipsi an alii alicui attribuerit, plane obscurum est; sed hoc apparet ex fragmento illo annalium scriptores hic illic litteras earumque studiosos commemorasse similiter atque antea iam Postumius Albinus de ratione scribendi egerat; atqui ex argumentis annalium ipsis per se sequitur, ut satis raro illa stricta sint, neque mirum est, quod in fragmentis L. Calpurni Pisonis Frugi, Cn. Gelli, Vennoni, C. Fanni nihil reperitur, unde eos litterarum crisin exercitasse suspicemur; nonnulla tamen de L. Coelio Antipatro dici possunt. Qui cum more decessorum res Romanas a vetustissimo aevo usque ad sua tempora deducere nollet, praeclarissima quaedam gesta e totis elegit, cum bellum Hannibalicum, quo periculosius nescio an nullum unquam Romani exanclaverint, descripsit. Quod autem iam argumento ab omnibus, qui illuc usque historia scribenda occupati erant, non mediocriter differebat, etiam multo alio stilo uti studebat atque illi, cum non tam historicus, quam rhetor Asianorum de dicendo praecepta sequeretur (Marx: auct. ad Her. prol. pp. 136—138; Norden: Ant. Kunstprosa I pp. 176—177). Quoniam autem duplici ex parte a prioribus ita discrepuit, eum, cur rationem eorum deteriorem esse sua arbitraretur, exposuisse per se exspectemus. Neque tamen eum de aliis historicis in scriptis suis iudicasse quicquam accepimus; quod enim Cicero (de leg. I 2, 6) scribit: '. . . Fanni autem aetate coniunctus Antipater paullo inflavit vehementius habuitque vires agrestis ille quidem atque horridas sine nitore ac palaestra, sed tamen admonere reliquos potuit, ut adcuratius scriberent', eum revera 'reliquos admonuisse, ut accuratius scriberent', minime concludas, cum indicativus 'potuit' sine dubio pro irreali modo ponatur. Contra certo de suo ipse stilo in initio operis eadem mente atque Postumius Albinus praefatus est, ut sese excusaret; legimus enim apud Ciceronem (or. 69, 229; 230): '(sed magnam exercitationem res flagitat, ne quid eorum, qui genus hoc secuti non tenuerunt, simile faciamus, ne aut verba traiciamus aperte, quo melius aut cadat aut volvatur oratio':) quod se L. Coelius Antipater in prooemio belli Punici nisi necessario facturum negat . . . et hic quidem, qui hanc a L. Aelio, ad quem scribit, cui se purgat, veniam petit (,et utitur ea traiectione verborum et nihilo tamen aptius explet concluditque sententias.)' Ipse igitur Coelius concedit verba tam artificiose poni non semper licere; sane Tullius eum promisso illic dato non stetisse affirmat, cum non modo saepe, sed etiam male hoc artificium adhibuisset. Quod autem ratio eius ab usu abhoruisse videtur, nescio an ipse hanc differentiam senserit neque se cum ab aliis tum ab Aelio Stilone, ad quem librum misit, reprehensum iri ignorarit; cuius vituperationi futurae ut quasi iam obviam iret, illo loco ita se purgare conatus est; namque ne a Stilone castigaretur, maxime ei verendum erat, quia hic tumorem Asianorum atque praestigias minime probabat (Marx l. s. p. 140). Cum autem sic de stilo inter se dissenserint, eo pluris faciendum est, quod Coelius [1]) Aelio librum suum dedicavit (auct. ad Her. IV 12, 18): 'In priore libro has res ad te scriptas, Luci misimus Aeli'; inde enim apparet, quanti fecerit Aeli de elegantia arbitrium. Quo prooemio num etiam alia, quae ad litteras pertinebant, tetigerit, nescimus, sed fieri sane potuit, ut hac occasione data explicaret, cur et quibus rebus priores sectari nollet. Atque quod Fronto (p. 62 Nab.) narravit eum verbis industriosius quaerendis maxime Ennium secutum esse, in incerto relinquendum est, utrum auctor noster hoc utriusque scriptis comparatis observaverit an ab alio acceperit an apud Coelium legerit; quod Antipater ipse si professus sit, hunc quoque locum praefationi assignare non dubitemus, qua eum de stilo ipso egisse modo vidimus. — Quantum igitur perspicimus, Coelius quoque parce tantum in arte critica ingenium exercebat, quamquam in praefatione de sua atque aliorum ratione pauca praemonuisse videtur. — Ultra Coelium aliquantum progressus est C. Sempronius Asellio, qui vetustissimis Romanorum temporibus omnino neglectis suam tantum aetatem suscepit describendam; porro autem, cum iam Cato historiam 'capitulatim' conscribere quam more pontificum res simpliciter enumerare maluisset, is eam pragmatice, quod dicimus, tractandam esse autumavit. Atque cum supra conicere tantum potuerimus Catonem, quantopere priores a se superarentur legentibus ipsum indicasse, Gellio (V 18, 8—9) haec fere tradenti: 'Verum inter eos, inquit (sc. Sempronius), qui annales relinquere voluissent, et eos, qui res gestas a Romanis perscribere conati essent, omnium rerum hoc interfuit. Annales libri tantummodo, quod factum quoque anno gestum sit, ea demonstrabant, id est quasi qui diarium scribunt, quam Graeci ἐφημερίδα vocant. Nobis non modo satis esse video, quod factum esset, id pronuntiare, sed etiam, quo consilio quaque ratione gesta essent, demonstrare. (Paulo post idem Asellio in eodem libro:) Nam neque alacriores (,inquit', ad rem

[1]) eum non Laelio, sed L. Aelio opus misisse Marxius (stud. Lucil. diss. Bonn 1882, p. 96) ita edocuit, ut exemplum permultorum doctorum (Gensel RE. IV p. 187) secutus ei non assentiri non possim.

publicam defendundam neque segniores ad rem perperam faciundam annales libri commovere quicquam possunt. Scribere autem, bellum initum quo consule et quo confectum sit et quis triumphans introierit ex eo, ⟨et eo⟩ libro, quae in bello gesta sint non praedicare aut, interea quid senatus decreverit aut quae lex rogatiove lata sit, neque quibus consiliis ea gesta sint, iterare: id fabulas pueris est narrare, non historias scribere' gratiam habemus, quod iam nunc legere nobis licet, quae Sempronius de discrimine inter suam et antecessorum artem intercedente monuerit. Se igitur opponebat atque obiciebat annalium scriptoribus et suo consilio alterum enuntiatum a vocabulo 'annales', alterum a pronomine 'nobis' incipiebat, quo evidentius se in contrariam partem ab iis disgressum esse asseveraret; bis autem brevissimo spatio intermisso dicebat non solum quae res accidissent narrandum, sed maxime explicandum esse, qua ratione quibusque consiliis gestae essent. Ac quantopere omnes fere ante se annalium scriptores contempserit, perbene intellegimus e verbis, quibus eorum rationem rodit mordacissime: 'id fabulas pueris est narrare, non historias scribere'. Quod autem Gellius se hos locos primo in libro non multum inter se distantes legisse memoriae prodidit, mea quidem sententia certo satis propinquum est Sempronium 'Rebus Gestis' praefationem praemisisse, qua de sua ratione disputaret simulque de prioribus acerrime iudicaret; quos num aliis quoque operis locis vituperaverit aut hac praefatione nominatim commemorarit, ignoramus; sed annotem quidem eum illa iudicii acerbitate Lucilium fortasse aequalem imitatum esse, quem nosse videtur, praesertim cum uterque in bello Numantino stipendia fecerit. — Tres denique illos, qui primi Romanorum suas vitas descripserunt, M. Aemilium Scaurum, Q. Lutatium Catulum, P. Rutilium Rufum in scriptis illis unquam litteratos aliquos perstrinxisse nulla accepimus memoria, ac multo alia profecto iis agitabant atque litterarum criticos se praebere; nisi forte eorum, qui ceterum omnes dicendo simul valebant, medium, Lutatium suum 'de consulatu' librum ad Furium poetam misisse (Cic. Brut. 35, 132) commemorandum esse censes. Quem quod ita honoravit, non mirum est, cum summa litterarum eruditione imbutus fuisse dicatur (Cic. Brut. 35, 133) atque nonnullorum poetarum fautorem se praestitisse videatur [1]); certe igitur aesthetice de variis, quae tum colebantur, litterarum generibus iudicabat cum in scriptis tum in sermonibus cum amicis illis habitis; sed nos quidem nihil de eiusmodi sententiis eius affirmare possumus; illa enim, quae Cicero (de or. II 13, 54) de Coelio Antipatro eum finxit censentem, Tulli ipsius potius iudicio quam Catulo

[1]) copiosius ac doctius quamvis interdum argutius de ea re egit Buettnerus pp. 172 sqq.

facile attribueris. — Ergo nihil certius de historicis eruimus nisi et Coelium Antipatrum et Sempronium Asellionem praefationem operi praemisisse, quorum ille stilum suum excusaret, hic de priorum et sua ratione accuratius disputaret inque illos acerbissime inveheretur. Atque ceteros quoque scripta talibus prooemiis instruxisse suo quisque ex arbitrio suspicetur; certum est in operibus ipsis rarissime occasiones iis oblatas esse litteratos vel aequales vel vestustiores perstringendi.

Cum iam saepius oratores hic laudari, illic vituperari viderimus, nunc inquirere par est, num ipsi quoque in litterarum arte critica versati sint. Ac primum primordia eloquentiae plane a nobis omittenda esse per se intellegitur, cum ii, qui tum in ea se exercebant, nondum eloquentes, sed diserti fuerint atque ea dixerint, quae forte in buccas iis veniebant, nullas regulas aut praecepta tutati; quos artis ipsos imperitos de aliis non iudicavisse manifestum est. Arte autem eloquentia Romanorum tum demum poliebatur, cum praecepta orationis minutiose ab illis elucubrata una cum Graecorum eruditione introducebantur. Attamen, si fragmenta perlustres, quae ex orationibus illa fere aetate habitis relinquuntur, nullum ferme locum invenias, quo orator quidam alterius rationem dicendi perstringat. Et res ipsa tulisse mihi videtur, ut haec nativa crisis orationibus rarissime exercitaretur; an saepius accidisse opinabere, ut oratores adversariis, si apud populum aut apud iudices eos cavillaturi erant, dicendi vitia exprobrarent? — Eo magis nimirum eiusmodi de oratoribus et orationibus iudicia iis scriptis continebantur, quibus de dicendi rationibus ipsis agebatur, nempe rhetoricis. Quorum prisca aetate compositorum quod praeter illos Catonis et Antoni libellos nulla commemorantur veterum memoria, Marxius (l. s. p. 134) rectissime, credo, monuit, ne nullos eiusmodi libros praeterea exstitisse opinaremur, sed multos potius alios saeculo altero in usum scholarum conscriptos fuisse asseveravit. Quae autem ex illo Censoris libro supersunt (cf. Iordan p. 80), nihil nostrae quidem quaestioni opitulantur, neque multo meliore utimur condicione, quod ad Antoni 'rhetoricam' pertinet. Sane alterum duorum, quae iam habemus (M. Krueger: M. Antonii et L. Licinii Crassi etc. diss. Breslau 1909, p. 29), fragmentum documento est in talibus libris — quod per se suspicemur — aestheticam litterarum aestimationem exercitatam esse; Cicero (de or. I 21, 94) enim tradit eum 'quodam in libello' scripsisse: 'disertos cognosse se nonnullos, eloquentem adhuc neminem'. Quod dictum nonne in praefatione libelli aptissimum locum habuisse concedes, qua curnam de ratione dicendi scribere animum induxisset explicaret? Ceterum quam sincere sibi invito atque imprudenti hoc scriptum excidisse atque in manus hominum pervenisse, simodo dixit, professus sit

(Cic. l. s.), ego diiudicare non curo. — Amplius autem quicquam de oratorum arte critica equidem excutere non possum; cavendum enim est, ne Ciceronis de oratore libris utamur fundamento, cum quaecunque Antonius et Crassus inter se disputant non ex eorum ipsorum sententiis evaserint, sed uterque orator clarissimus ea tantum fingatur defendens, quae Tullius ipse de arte oratoria sentiebat (cf. Spengel: Rh. Mus. 18, p. 495).

Restat, ut in fine opusculi de grammaticorum eiusmodi studiis pauca dicamus: Artem a Cratete Pergamo Romam translatam esse in praefatione explanavimus, et Accium, Porcium Licinum, Volcacium Sedigitum, cum crisin exercitarent, Pergamenorum praecipue exempla secutos esse postea exposuimus; neque vero quisquam horum Romanorum ita philologus erat, ut nos hanc vocem interpretamur. Qua in disciplina qui primi Romae versati sint, Suetonius (de gram. 2) tradit: '. . . Crates Mallotes . . . nostris exemplo fuit ad imitandum. Hactenus tamen imitati, ut carmina parum adhuc divulgata vel defunctorum amicorum vel si quorum aliorum probassent, diligentius retractarent ac legendo commentandoque etiam ceteris nota facerent; ut C. Octavius Lampadio Naevii Punicum bellum, quod uno volumine et continenti scriptura expositum divisit in septem libros; ut postea Q. Vargunteius annales Enni, quos certis diebus in magna frequentia pronuntiabat; ut Laelius Archelaus Vettiusque Philocomus Lucilii saturas familiaris sui, quas legisse se apud Archelaum Pompeius Lenaeus, apud Philocomum Valerius Cato praedicant.' Quae Tranquilli verba si meis augerem, ligna in silvam ferrem, praesertim cum ultra ea nihil fere de philologis illis sciremus; unum tamen adiciam eos eiusmodi studiis occupatos 'legendo commentandoque' interdum aesthetice de scriptoribus iudicasse, quamquam hoc officium gravissimum neque eorum erat neque eorum est, qui his temporibus hoc munus tuentur; eos autem revera nonnusquam elegantiae arbitros se praestitisse, liber quidam Laeli Archelai testimonio esset, qui 'de vitiis virtutibusque poematorum' inscriptus fuisse dicitur, dummodo cognitum haberemus [1], num hic doctus idem esset atque Q. Laelius ille, quem hunc librum conscripsisse Charisius (G. L. I p. 141 K) tradidit. — Sed relinquamus hos philologos oblivionis iniquitate plane fere obrutos potiusque accedamus ad multo clariorem L. Aelium Stilonem Praeconinum, quem artem grammaticam ab omni parte instruxisse atque auxisse Suetonius (l. s. s.) praedicavit et Cicero (Brut. 56, 205) eruditissimum et Graecis litteris et Latinis, antiquitatisque Romanae et in inventis rebus et in actis scriptorumque veterum litterate peritum nominavit. Sed hic quoque quorum scripta emendaverit ac re-

[1]) quod Reitzensteinius (l. s. p. 148) quidem certo scire sibi visus est.

censuerit, aut quibus poetis studia quaestionibus, quae ad linguam attinebant, impertiverit (cf. F. Mentz: comm. phil. Jen. vol. IV p. 16), enucleari minus nostra refert quam erui, quae vestigia altioris quam vocamus criticae cognoscantur. Ac profecto Gellius (III 3, 12) eum quinque et viginti tantum fabulas Plauti esse existimasse prodidit; ergo ut multi alii, sic is quoque acumen ingenii in Sarsinatis poetae hereditatem contulit et eum huius nomini non XXI, quas Varro discipulus genuinas esse postea voluit, sed XXV addixisse memoria dignum est (Mentz l. s. pp. 16; 18 sqq.). Atque conicere quidem iam licet, quibus ex indiciis eas elegerit, quas vere Plautinas esse ratiocinaretur; neque enim absurde Schanzius (p. 331) eum Sarsinatis poetae sermonem summis laudibus cumulasse conicit, cum narret Quintilianus (X 1, 99): 'Licet Varro Musas Aelii Stilonis sententia Plautino dicat sermone locuturas fuisse, si latine loqui vellent.' Minime igitur assensus est aut Naevio [1]) se mortuo Latina lingua loqui obliturus esse Romanos vaticinato, aut Ennio primum se Romanorum Musas nactum esse sibi fautrices gloriato, sed in Plauti ipsius comoediis sermonem earum quasi reperiri putavit [2]); quod linguae iudicium si iustum esse sibi persuaserat, facillime nimirum spurias fabulas discernere poterat a genuinis. Atque revera eum a scriptoribus, ut bono stilo uterentur, postulasse iam supra exposuimus, cum Caecilium Antipatrum, quamvis magna esset inter utrumque amicitia, timuisse, ne ab eo ob traiectionem verborum reprehenderetur, et ab eo quasi iudice severo peccatorum veniam petivisse videremus; unde certo sequitur, ut munus crisis aestheticae haud raro exsecutus sit. Multo sane minus certum est, num Plauti comoedias commentario instruxerit; quod si Graefenhanius (Gesch. der klass. Phil. [1844] II p. 338) recte suspicatus sit, hac quoque Plauti laudandi occasione nescio an usus sit. Sed quod iam huius docti de commentario comicorum Romanorum Aeliano coniectura satis debilis est, plane caduca est Nipperdeii (opusc. p. 315) illa, qua Tac. dial. c. 23 non Calvi, ut traditur, sed L. Aeli rhetorum commentarios laudari voluit; cum enim nusquam alibi eiusmodi Stilonis scripta commemorentur, nomen proprium illud ita mutare audacissimum esse videtur. Quamquam quin Aelius arti rhetoricae operam navaverit, procul dubio est, cum aliis orationes scripsisse a Cicerone (Brut. 56, 206) feratur et praecepta quaedam de dicendo dedisse videatur [3]; ac si revera Asianorum

[1]) cuius elogium quin ei, qui 'veterum scriptorum peritus' esset, notum fuerit, quis nostrum dubitet? [2]) ceterum quod Varro loco illo iam saepius commemorato Plauto 'in sermonibus' palmam dedit, nescio an hoc magistri sui iudicium respexerit. [3]) mihi quidem Marxius (l. s. p. 140) persuasit

stilum improbabat, certe de singulis stili rationibus, cum discipulos institueret, disserebat; quod concludimus, ut tertium adhibeamus hunc locum, ex illa Coeli Antipatri praefatione. — Itaque Stilo, quamvis grammaticas in res magnam quidem studiorum partem contraheret, nonnunquam in crisi illa, quam 'κάλλιστον εἶναι πάντων τῶν ἐν τῇ τέχνῃ' Dionysius Thrax definiebat, ingenium exercebat; quamquam ut apud plurimos eorum, de quibus disputavimus, sic apud eum quoque quasi per caliginem eam videre nobis licet.

Quod restat, ut ad finem fere progressus quae exposuerim comprehendam, brevissime hoc officium exsequar: cum apud Livium Andronicum nullum artis criticae vestigium reperiatur, iam Naevius suam laudem ipse verbis satis magnis praedicavit, quippe qui et in prologo fabulam quandam commendaret spectatoribus et elogium sibi componeret 'superbiae plenissimum'. Deinde Plautus quoque prologo unam ex fabulis suis laudavit alioque loco Epidici iam antea actae honorifice fecit mentionem; interdum autem etiam in tragoedias et comoedias aequalium illusisse videtur, quamquam quod ab omni dubio tutum sit vix quicquam de ea re affirmes. Multo alia natura atque indole erat Ennius, qui cum se summum poetam esse persuasum haberet, nullam fere sui laudandi occasionem praetermittebat; atque quod Umber poeta in Naevium, Ennium, Statium Caecilium ludibrii tantum causa hic vel illic allusisse videtur, Calaber primus omnium priorem quendam aemulum expresse impugnavit verbis satis profecto acribus, nempe Naevium. Neque conicere absurdum est eum ita Campani poetae mortui fautoribus respondisse, qui arti eius atque ingenio obtrectaverant. Multos enim Romanos tum scaenicae poesi aut ipsos studuisse aut favisse apparet vel ex illis Casinae prologi versibus vel inde, quod Plautus defunctus elogio illo — siquidem recte de eo disputavimus — ab amicis honoratus est, vel inde, quod vehementissimi 'adversariorum' impetus Statio Caecilio, Enni contubernali, superandi erant, antequam laudem adeptus est. Tertio autem anno postquam Insuber poeta mortem obiit, Terentius primam fabulam docuit; cui inde per totam vitam acerrime pugnandum erat cum Luscio eiusque asseclis. Quae dissensio in eo maxime posita erat, quod alter alterum de Graecis exemplis praecipiebat utendis; hic enim perfectiora ea esse putabat, quam ut quicquam a Latino poeta mutari sineret, ille autem cum alia tum contaminandi li-

Ciceronem, qui se adulescentem perstudiose Stilonem audivisse confitetur (Brut. 56, 207), rhetoricis maxime studiis imbutum esse ab illo.

centiam sibi vindicabat Naevi Plauti Enni in auctoritate nisus; ceterum ut haec controversia in altercationem saepissime verteretur, non per Luscium solum stetit, ut Afro credi vulgo solet, sed Terentio quoque aliquantum culpae assignandum esse me demonstravisse spero. Quamquam vero Afer primus prologis ad se defendendum et adversarios invicem lacessendos usus esse videtur, alia litterarum genera non percensebat, veluti nusquam ad tragoedias respexit. Quarum poetam Pacuvium rursus aut comicos aequales aut alios litteratos perstrinxisse neque cognoscitur neque probabile est; etenim ab hoc grandi genere per se eiusmodi cum inimicis rixas alienas esse iam in praefatione exposuimus. Itaque non modo Pacuvium, qui nescio an iam modestia sua, quae perbene apparet ex epigrammate sepulcrali ab ipso condito, alios castigare prohibitus sit, sed etiam Accium, utpote qui se summo ingenio praeditum esse persuasum haberet, cum nusquam tragoediarum, tum ne in prologis quidem artem criticam exercuisse admodum probabile est. Amplissimae tamen censendi occasiones huic dabantur in iis operibus, quae de litterarum historia scribebat; primus enim Romanorum et Didascalicis et Pragmaticis litterarum aestimationem non sua, sed eius ipsius causa exercebat, cum Pergamenorum disciplinam aperte secutus aesthetice de litteris iudicandi artem Romam introducebat, similiter atque omnium primus πίνακας Graecos imitatus indicem Plautinum componebat. Quibus in scriptis eum etiam ea maxime litterarum studia perstrinxisse, quae eius aetate ipsa in urbe colebantur, verisimillimum est; ut iis et togatae comoediae et saturae genera nova vellicata esse coniecimus. Quarum huius vitia, quae se repperisse putabat, quod patefacere conaretur, maxime habebat, cum ipse a Lucilio acerrime corriperetur. Qui saturas suas eo ipso consilio scribebat, ut omnes homines et res, qui forte in vita cotidiana ei occurrebant, perstringeret; cum autem omnia putide quaesita atque contorta odisset, imprimis tragicos et oratores ob tumorem rodebat, quorum utrosque exemplis satis ac lepide allatis irridebat; contra epicorum carminum studium magni aestimabat, quamvis ipse ad hoc genus non inclinaret, neque minoris faciebat comoedias, utpote quarum et argumenta et stilus multo propiora essent saturae quam tragoediae. Cuius censuram utrum nativam an doctam — simodo ita duo criticae genera inter se discerni assentiaris — nomines, nescio an dubites: quod nos quidem alteram illam significationem eligendam esse supra diximus, hic quoque tenemus; quamvis enim Lucilius certis nimirum de arte sententiis duceretur, saturae eius distant atque discrepant ab operibus illis Acci de litterarum historia scriptis; nam inter utrumque genus nihil aliud commune erat nisi quod omnia fere litterarum genera percen-

sebantur, ceteroquin autem haec imitabantur Graeca exempla, illae ex natura Lucili ipsius emanabant atque more Terenti, Lusci, aliorum priorum poetam saepius quam poema aggrediebantur: veluti quam facete ac mordaciter Suessanus poeta Acci arrogantiam illudebat conviciis creberrime adiectis! Quod autem haud scio an sint, qui Lucilium doctam potius criticam exercuisse autument — etenim duo genera non semper inter se discerni atque separari posse ipse confiteor —, mere iterum nativam togatarum poetarum crisin fuisse nemo neget. Quamquam hic quoque tenuissima vestigia exstant, Afranium, facile eorum principem, Terentium sibi imitationi esse in prologo quodam ipsum affirmasse certum est, cum verisimile tantum sit eum saturis Lucili obtrectasse, qui eum haud scio an furti arguerit. Cuius et Acci et aliorum fortasse impetus quin in prologis defenderit Afri, quippe quem summi duceret, exemplum secutus, nemo nostrum dubitet. Sed etiam alterum illud genus, quod Accius introduxerat, ab aliis colebatur; cum enim ego quidem in incerto reliquerim, num Valerius Soranus quoque hoc munere quod nominavimus fungeretur, certo poetam Pisaurensem aemulatus est Porcius Licinus, quem de poetis scaenicis eorumque arte egisse probabile est. Qui a Volcacio Sedigito ita praecipue se distinxisse videtur, ut indiciis, cur ita censeret, adiceret, cum Volcacium universe quidem in suo 'de poetis' libro haec indicare non curasse suspicati simus, simodo recte hoc ex fragmentis conclusimus. — Quod attinet ad scriptores prosa oratione usos, pauca tantum enucleari poterant: quod non miramur, cum neque annales neque orationes per se idonea fuerint, quibus ars critica exercitaretur. Itaque eos annalium scriptores, qui novam scribendi rationem usurpaturi erant, in prooemiis expresse legentium animos illuc convertisse vidimus ut Catonem et imprimis Sempronium, qui tam acriter iudicaret de prioribus, cum alii ut Postumius et Coelius de stilo suo praefarentur sese excusandi causa, si quid peccassent; ultra quae vix quicquam erui possit. Omnino vero nihil in orationibus repperimus, quod nostram ad quaestionem spectaret, rhetorica autem scripta, quibus de ratione dicendi agebatur, tota fere perierunt. Consulto denique philologi, quorum studia tum efflorescere coeperant, in operibus recensendis aestheticam artem criticam exercebant; veluti cum alii tum princeps eorum Stilo indicem fabularum composuit Plautinarum.

Deduximus igitur quaestionem a primordiis litterarum Romanarum usque ad L. Aelium Stilonem, et Varronis et Ciceronis magistrum, quorum utrumque aestheticam artem criticam ab eo non modo suscepisse, sed etiam multo auxisse satis constat. Quod autem me aliquos quidem fructus ex hoc labore percepisse spero, iterum atque iterum assevero,

ne iniusta fortasse criticorum iudicia subeam, saepissime ad coniecturas me confugisse, cum certa proferri non possent; si autem erunt, qui hoc vel illud aliter atque melius interpretandum fuisse censeant, veniam ab iis peto his Pacuvi versibus, quorum verba, quasi mihi tam saepe fortuna operibus poetarum ac scriptorum a me tractandorum infesta ne clarius res perspexerim impedito omen sit, ipsa male traduntur (151—152 R):

'Nil coniectura quivi interpretarier,
(Quorsum †flexivice contenderet'.)

Addenda.

Similem viam atque Reichius in Volcaci canone tractando recentissime Leo ingressus est, cuius coniectura quin multo magis quam aliorum veri speciem prae se ferat non dubium est neque scio an non paucis primo quidem obtutu probetur: Volcacium singulos eo pluris duxisse arbitratur (L. G. p. 435) quo quisque maiore vi comica fabulas imbuisset. Ad hanc enim et mimici et fervidi epitheta spectare, quorum hoc Naevio, illud Caecilio attribuisset, nec Plautum secundo loco nominari nos non intellegere, quamvis Varronem secuti primum potius ei assignare malimus. Quae quoquomodo se habent, Sarsinatem poetam eiusmodi epitheto carere satis mirum est nec minuitur haec nostra miratio, si Sedigitum ante canonem propositum de singulis poetis tractasse et epithetis illis legentium animos ad ea, quae de virtutibus singulorum copiose antea excussisset rettulisse cum Leone (L. G. p. 434 ann. 1) coniecimus. Cur igitur Volcacius medium eorum, quos putabat principes palliatarum, ita quasi notare noluit, simodo ex vi comica omnia metiebatur? Sed pergamus. Leo quamquam ab Atilio usque ad Licinum enumerari tantum poetas rectissime monet, in hac enumeratione eandem iudicandi rationem adhibitam esse asseverat (L. G. p. 435 ann. 2): meditemur, quae inde sequantur. Optime ipse edocet (L. G. pp. 251—256), quanta arte et studio Terentius effecerit, ut orationem poliret atque redderet quam purissimam, neque semel tantum eo maxime eum discrepuisse a Caecilio et Plauto praedicat; fabulas autem cum colore nimis Attico, si ita dicere liceat, quasi tinxisset, vi comica orationi Italorum per se propria eum privasse (L. G. p. 435).

Simodo vere Leo recte de critici nostri ratione sensit, facere non possumus, quin eos, qui Afro postponuntur, etiam magis hac vi comica caruisse concludamus. Quorum de Turpilio vix ullum certum iudicium fiat; licet autem Leoni magni eius fuisse artem neganti (L. G. p. 258) non obstemus, nemo, qui fragmenta perlustrarit, sermonem eius satis longe recedere a Terentiano et accedere ad vulgarem non intelleget. Quid porro sentias de Trabea? Eruntne, qui eius quoque comoedias vi cormica vacasse opinentur? Quod qui coniecerit, cur ita iudicet, nos doceat. Sermo enim Trabeae quin non ita similis fuerit Terentio, procul est dubio, cum illum aliquanto maiorem natu quam hunc cum omnes tum Leo (L. G. p. 214) ratiocinentur, hic autem doctissimus ipse Afrum primum orationem leniorem atque puriorem reddidisse compluriens[1] exposuit. Per sermonem igitur minime stetit, quominus Trabea satis comicus esse videretur Volcacio; accedit, quod hic palliatarum poeta a Varrone in iis numerabatur, qui πάθος movissent; unde non minus

sequitur, ut stilus eius satis dissimilis fuerit Terentio, quippe qui „affectum temperaret" (Euanth. 3, 5). An Trabeam affectu commoto ita, ut Euanthi verbis utamur, „in tragoediam transiluisse" putas, ut Volcacius tragicum potius quam comicum eum existimaret? Ac ne hoc quidem licet opinari meditatis Caecilium, quamquam πάϑη[2]) excitari eius erat, palma ornatum et Atilium quinto quidem loco nominatum esse, qui tametsi item affectus commovebat neque solum a Porcio Licino, sed etiam a Volcacio 'ferreus scriptor' aestimabatur[3]), tamen Terentio praeferebatur. Quid autem habemus cur Trabeam ipsum utrumque fabularum genus ita commiscuisse coniciamus, ut ob hoc vitium a Sedigito ultimo fere loco dignus haberetur? Quoniam stilum Trabeae Caecilio et Plauto similiorem fuisse quam leni Terentiano satis certum esse videtur neque est, quod eum magis 'tragicum' fuisse opinemur Caecilio atque Atilio, quaerendum est nobis in dubio versatis, curnam Volcacius ab eo vim comicam abiudicaverit. Quis quid respondebit? — Etiam maiores dubitationes nobis afferuntur ad Luscium Lanuvinum progressis. Cum Leo (L. G. p. 436) canonis verba ad eum spectantia vertat: „an neunter Stelle mag meinethalben Luscius stehen", putet fortasse quispiam nihil aliud Volcacium ita dixisse nisi non minore iure alium quemlibet nominari posse. Quomodo verba Leonis si interpretemur, falso nos intellegere ex aliis quibusdam ipsius[4]) apparet. Putat igitur Luscium a Sedigito eum habitum esse, cuius fabulae minime omnium qui enumerantur poetarum vi comica praeditae essent. Asseverat autem Leo saepius Lanuvinum poetam toto animo stetisse a Caecilio, cuius rationem a Terentio defenderet; neque enim modo eum fabulas contaminari non licere cum illo consensisse (L. G. p. 220), sed etiam stilum illius comprobasse atque laudasse[5]). Quodsi Luscius ita, ut Leo putat, exstitit Caecili defensor, illum in suis ipsius comoediis huius rationem sibi probatam secutum et tutatum esse conicere nonne cogimur? Num vero tam exiles fructus eum ex hoc imitandi studio percepisse opinemur, ut fabulae eius ipsius expertes essent, quo maxime Caecilius palmam acciperet a Volcacio, cum Terentius aliquanto pluris aestimaretur, quippe qui ab utroque consulto discreparet? An poeta Lanuvinus indole adeo carebat, ut ei, quamvis uteretur, non contingeret, ut Caecilium ad imitandum sibi propositum aliquid quidem vi comica aequaret? Habemus Terenti ipsius testimonium inimicissimi, quo plausum populi illum tulisse huic confitendum erat. Cur igitur Volcacius Caecilium primo, eum, quem cum Insubro poeta de ratione 'poetandi' consensisse Leo arbitratur, ultimo fere loco posuit? Quae omnia recte a nobis exposita esse si concedes, ne Leonis quidem coniecturam eam esse tibi persuadebitur, cui certo confidamus.

1) L. G. p. 252: die bisher gewohnte komische Fülle des Ausdrucks hat T. so sehr beschränkt, weil . . . ; p. 253: Das Latein des T. ist eine neue römische Urbanität. 2) ceterum Leo, quid sit πάϑος comoediae, longe aliter interpretatur quam Reichius. 3) quod quidem Leo putat L. G. 435 ann. 2. 4) p. 434 ann. 1: Eine Anzahl anderer war obskur geblieben; daß es solche gab, die des Namens nicht wert, wußte Sedigitus natürlich und deutet es im Schlußvers an: Luscium igitur in iis putatum esse a Volcacio Leo negat. 5) p. 254: Das tenue und leve hat also Luscius gewiß der Fülle und Kraft des Caecilius und seiner Schule gegenübergestellt.

Tabula argumenti.

		Pagina
	Praefatio	1— 3
§ 1.	de Livio Andronico et Cn. Naevio	3— 10
§ 2.	de Plauto	10— 24
§ 3.	de Ennio et Statio Caecilio	24— 33
§ 4.	de vetustioribus annalium scriptoribus et M. Porcio Catone	33— 36
§ 5.	de Terentio eiusque adversariis	37— 55
§ 6.	de Pacuvio, Accio (Valerio Sorano)	55— 62
§ 7.	de Lucilio	62— 85
§ 8.	de togatarum poetis	85— 90
§ 9.	de Porcio Licino et Volcacio Sedigito	90—103
§ 10.	de historicis, oratoribus, grammaticis	103—110
	Epilogus	110—113
	Addenda	113—114

Verlag von B. G. Teubner in Leipzig und Berlin.

Gercke, A., und E. Norden, Einleitung in die Altertumswissenschaft. 3 Bände. Lex.-8.

I. Band: 1. Methodik (A. Gercke). 2. Sprache (P. Kretschmer). 3. Antike Metrik (E. Bickel) 4. Griechische und römische Literatur (E. Bethe, P. Wendland und E. Norden). 2. Aufl. [XI u. 632 S.] 1912. Geh. ℳ 13.—, geb. ℳ 15 —

II — 1. Griechisches und römisches Privatleben (E. Pernice). 2. Griechische Kunst (F. Winter). 3. Griechische und römische Religion (S. Wide) 4. Geschichte der Philosophie (A. Gercke). 5. Exakte Wissenschaften und Medizin (J. L. Heiberg). 2. Aufl. [XII u. 432 S.] 1912. Geh. ℳ 9.—, geb. ℳ 10.50.

III. — 1. Griechische Geschichte bis zur Schlacht bei Chaironeia (C. F. Lehmann-Haupt). 2. Griechische Geschichte seit Alexander (K. J. Beloch). 3. Römische Geschichte bis zum Ende der Republik (K. J. Beloch). 4. Die römische Kaiserzeit (E. Kornemann). 5. Griechische Staatsaltertümer (B. Keil). 6. Römische Staatsaltertümer (K. J. Neumann). 2. Aufl. [VII u. 500 S.] 1913. Geh. ℳ 10.—, geb. ℳ 12.—

Ermäßigter Preis für das Gesamtwerk bei gleichzeitigem Bezug aller 3 Bände: Geh. ℳ 28.— (statt ℳ 32.—); geb. ℳ 32.— (statt ℳ 37.50).

Kultur, die hellenische, dargestellt von Fritz Baumgarten, Franz Poland und Richard Wagner. 3., stark vermehrte Auflage. Mit 9 bunten und 4 einfarbigen Tafeln, 479 Abbildungen und 1 Plan und 1 Karte. [XII u. 576 S.] gr. 8. 1913. Geh. ℳ 10.—, geb. ℳ 12.50.

Kultur, die hellenistisch-römische. Von Fr. Baumgarten, Fr. Poland, R. Wagner. Mit 5 bunten und 6 einfarb. Tafeln, 440 Abb., 4 Karten u. Plänen. [XIV u. 674 S.] gr. 8. 1913. Geh. ℳ 10.—, geb. ℳ 12.50.

Laum, B., Stiftungen in der griechischen und römischen Antike. Ein Beitrag zur antiken Kulturgeschichte. gr. 8. 1914. Geh. ℳ 18.—, geb. ℳ 22.—

I. Band: Darstellung [X u. 255 S.] II. Band: Urkunden [X u. 224 S.]

Literatur und Sprache, die griechische und lateinische. (Die Kultur der Gegenwart. Teil I, Abt. 8.) 3. Auflage. [VIII u. 582 S.] Lex.-8. 1912. Geh. ℳ 12.—, geb. ℳ 14.—, in Halbfr. ℳ 16.—

Inhalt. I. Die griechische Literatur und Sprache: U. v. Wilamowitz-Moellendorff, Die griechische Literatur des Altertums. — K. Krumbacher, Die griechische Literatur des Mittelalters. — J. Wackernagel, Die griechische Sprache. — II. Die lateinische Literatur und Sprache: Fr. Leo, Die römische Literatur des Altertums. — E. Norden, Die lateinische Literatur im Übergang vom Altertum zum Mittelalter — F. Skutsch, Die lateinische Sprache.

Mitteis, L., und U. Wilcken, Grundzüge und Chrestomathie der Papyruskunde. **Erster Band: Historischer Teil.** Von U. Wilcken. Erste Hälfte: Grundzüge. gr. 8. [LXXII u. 437 S.] 1912. Geh. ℳ 12.—, geb ℳ 14.—. Zweite Hälfte: Chrestomathie. gr. 8. [VII u. 579 S.] 1912. Geh. ℳ 14.—, geb. ℳ 16.—. **Zweiter Band: Juristischer Teil.** Von L. Mitteis. Erste Hälfte: Grundzüge. [XVIII u. 298 S.] Geh. ℳ 8.—, geb. ℳ 10.—. Zweite Hälfte: Chrestomathie. [VI u. 430 S.] Geh. ℳ 12.—, geb. ℳ 14.— Ermäßigter Preis bei Bezug aller 4 Teile geh. ℳ 40.—, geb ℳ 48.—

Norden, Ed., Agnostos Theos. Untersuchungen zur Formengeschichte religiöser Rede. [XII u. 410 S.] gr. 8. 1913. Geh. ℳ 12.—, geb. ℳ 13.—

Norden, Ed., Josephus und Tacitus über Jesus Christus und eine messianische Prophetie. [30 S.] gr. 8. 1913. Geh. ℳ 1.—

Papyri Iandanae cum discipulis edidit C. Kalbfleisch. gr. 8.

Fasc. I: Voluminum codicumque fragmenta Graeca cum amuleto Christiano. Edidit E. Schäfer. Acc. IV tab. phototyp. [VI u. 33 S.] 1912. Geh. ℳ 2.40.

Fasc. II: Epistulae privatae Graecae. Edidit L. Eisner. Accedunt III tabulae phototypicae. [S. 35—73.] 1913. Geh. ℳ 2.40.

Fasc. III: Instrumenta Graeca publica et privata. Pars I. Edidit L. Spohr. Accedunt IV tabulae phototypicae. [S. 74—123.] 1913. Geh. ℳ 2.80.

Fasc. IV: Instrumenta Graeca publica et privata. Pars II. Edidit G. Spieß. Accedunt III tabulae phototypicae. [Unter der Presse.]

Verlag von B. G. Teubner in Leipzig und Berlin.

Poulsen, F., der Orient und die frühgriechische Kunst. [VIII u. 195 S.] 4. 1912. Geh. ℳ 12.—, geb. ℳ 14.—

Rabbow, P., antike Schriften über Seelenheilung und Seelenleitung. Auf ihre Quellen untersucht. I. Die Therapie des Zorns. [VI u. 198 S.] gr. 8. 1914. Geh. ℳ 6.—, geb. ℳ 8.—

Riepl, W., das Nachrichtenwesen des Altertums mit besonderer Rücksicht auf die Römer. [XIV u. 478 S.] gr. 8. 1913. Geh. ℳ 16.—, geb. ℳ 18.—

Roemer, Ad., Aristarchs Athetesen in der Homerkritik. (Wirkliche u. angebliche.) [XII u. 527 S.] gr. 8. 1912. Geh. ℳ 16.—, geb. ℳ 20.—

—— homerische Aufsätze. [VIII u. 217 S.] gr. 8. 1913.

Schwartz, E., Charakterköpfe aus der antiken Literatur. 1. Reihe: 1. Hesiod und Pindar; 2. Thukydides und Euripides; 3. Sokrates und Plato; 4. Polybios und Poseidonios; 5. Cicero. 4. Aufl. [IV u. 128 S.] 8. 1912. 2. Reihe: 1. Diogenes der Hund und Krates der Kyniker; 2. Epikur; 3. Theokrit; 4. Eratosthenes; 5. Paulus. 2. Aufl. [IV u. 142 S.] 8. 1911. Je ℳ 2.20, geb. je ℳ 2.80.

—— Kaiser Constantin und die christliche Kirche. Fünf Vorträge. [VII u. 171 S.] gr. 8. 1913. Geh. ℳ 3.—, geb. ℳ 3.60

Schwartz, G., Die Besetzung der Bistümer Reichsitaliens unter den Sächsischen und Salischen Kaisern mit den Listen der Bischöfe 951—1122. [VIII u. 338 S.] gr. 8. 1913. Geh. ℳ 12.—, geb. ℳ 14.—

Staat und Gesellschaft der Griechen und Römer. (Kultur der Gegenwart. Teil II, Abt. 4, 1.) Lex.-8. 1910. Geh. ℳ 8.—, geb. ℳ 10.—
Inhalt: I. Ulrich v. Wilamowitz-Moellendorff, Staat und Gesellschaft der Griechen. II. Benedikt Niese, Staat und Gesellschaft der Römer

Steiner, A., der Fiskus der Ptolemäer. I. Seine Spezialbeamten und sein öffentlich-rechtlicher Charakter. [VI u. 66 S.] gr. 8. 1913. Geh. ℳ 2.40, geb. ℳ 3.60.

Taubenschlag, R., vormundschaftsrechtliche Studien. Beiträge zur Geschichte des römischen und griechischen Vormundschaftsrechtes. [II u. 88 S.] gr. 8. 1913. Geh. ℳ 3.—, geb. ℳ 4.50.

Täubler, E., Imperium Romanum. Studien zur Entwicklungsgeschichte des römischen Reichs. Bd. I. Die Staatsverträge und Vertragsverhältnisse. [X u. 458 S.] gr. 8. 1913. Geh. ℳ 14.—, geb. ℳ 16.—

Teuffel, W. S., Geschichte der römischen Literatur. 6. Auflage. Unter Mitwirkung von E. Klostermann, R. Leonhard und P. Wessner neu bearbeitet von W. Kroll und F. Skutsch. 3 Bände. gr. 8.
I. Band. Bis zum Jahre 31 v. Chr. [In Vorbereitung.]
II. — Vom Jahre 31 v. Chr. bis zum Jahre 96 n. Chr. [VI u. 348 S.] 1910. Geh. ℳ 6.—, geb. ℳ 7.—
III. — Vom Jahre 96 n. Chr. bis zum 8. Jahrhundert. [VIII u. 579 S.] gr. 8. 1913. Geh. ℳ 10.—, geb. ℳ 11.50.

Usener, H., Vorträge und Aufsätze. [V u. 259 S.] gr. 8. 1907. Geh. ℳ 5.—, geb. ℳ 6.—

—— **Kleine Schriften:**
Band I: Arbeiten zur griechischen Philosophie und Rhetorik. [V u. 400 S.] gr. 8. 1912. Geh. ℳ 12.—, geb. ℳ 15.—
— II: Arbeiten zur lateinischen Sprache u. Literatur. [IV u. 382 S.] gr. 8. 1913. Geh. ℳ 15.—, geb. ℳ 18.—
— III: Arbeiten zur griechischen Literaturgeschichte, Geschichte der Wissenschaften, Epigraphik, Chronologie. [VI u. 546 S.] gr. 8. 1914. Geh. ℳ 24.—, geb. ℳ 27.—
— IV: Arbeiten zur Religionsgeschichte. [VIII u. 516 S.] gr. 8. 1913. Geh. ℳ 15.—, geb. ℳ 18.—

Ziegler, K., Menschen- und Weltenwerden. Ein Beitrag zur Geschichte der Mikrokosmosidee. [IV u. 45 S.] gr. 8. 1913. Geh. ℳ 2.—